

977

FRID. TAUBMANI  
RECTORIS  
OTTIUM SEMESTRE PU-  
BLICUM.

*FRUCTUS Honos oneris :  
Fructus Honoris ONUS.*

EIUSDEM  
ORATIONCVLA  
De  
HERCULE  
ACADEMICO,

*adfecta tamen magis, quam perfecta.*

Primum, GIESSAE HASSORVM edita:  
iterum VVITTEBERGÆ,  
Typis Johannis Gormanni, Impensis Pauli  
Helwiczij, ANNO M. DC. X.

FRIEDRICH TAPPE

LECTOR

OTTLIN

MESTRE

BLON

IN CLASSE

PRIMUM

ORATIONEM

HERON

ACADEMICO

INSTITUTIONE

1771

PRIMUM

INSTITUTIONE

INSTITUTIONE

1771





SPLENDIDISSIMO VIRO,  
EQV. NOB.

IONÆ Bon-Duingenberg/  
SERENISSIMO ELECTORI  
Saxoniae à Consilijs, & Consisto-  
rij Dresdæ

SUPREMO PRÆSIDI  
S. D.

FRID. TAUBMANNUS,



CADEMIAE Negotium  
(quod OTIUM præscripsi)  
SEMESTRE, hoc est,  
SCRIPTA quæ me Recto-  
re passim publicata sunt, in  
hunc quati fascem colligata nunc ite-  
rum publico: & Nomini etiam tuo,  
PRÆSES, inscribo. Calidum hoc me-  
um consilium est; non nego. Nec quo  
colore illud velem aut excusum, facile  
invenio; istis præsertim Carionibus:  
apud quos quicquid dixerò, Ambitiun-  
culæ & Novitatis culpam, aut certè su-  
spicionem, difficulter declinaverò. Sed

A 1 dum

dum isti suum faciunt, ego interea meum: & videbo, utrum vel tibi, PRÆSES, actui similibus, CANDIDIS juxtâ & DOCTIS viris hoc institutum meum aliquâ probare possim. Principio, me aut meam ambitionem tantum abest ut hîc spectem, ut etiam culpam *σμικρολογίας* deprecari necesse habeam. Nam quid, quæso te, in hac opellâ est, ob quod mihi placeam, aut vulgo venditem? Et, Deum & Conscientiam teitor, de editione horum ne quidem per somnium in mentem mihi unquam venit: nisi valdè ferò & anno ferè jam exacto: cum scilicet amplius mihi non liberum esse viderem, quid ego potissimum vellem, aut de his scriptis plerisq; statuerem: sed cum res eò deducta esset, ut potius providerem, ne quid secus quam utile aut decorum fuerit, ab alijs alibi attentaretur. Nam ecce è nobili quâdam Academiâ (sciunt Collegæ qui litteras viderunt) ad me perscribitur, esse, qui Scriptâ me Rectore publicata undique conquirant & editioni destinent. Quin curiositas typographi ali-

quid

quid jam affectasset, nisi Amici aucto-  
ritas (cui ob hunc affectum & judici-  
um debere fateor) intervenisset, & me,  
quid animi haberem, rogandum prius  
censuisset. Ut multa paucis dicam: illi  
rogarunt: ego annui. Quid enim aliud  
facerem? aut quâ ratione scripta semel  
hîc publicata & passim per hanc Ger-  
maniam disseminata, mihi iterum vin-  
dicarem, & manibus hominum eripe-  
rem: quò minus illis, quod lubeat, fa-  
cerent? Isti & illi fortè editionem ho-  
rum prohibeas; difficulter omnibus.  
Ergo ut saltem honestius traducerer,  
Volui ipse majorem partem semestris  
illius militiæ sub signa cogere, ordina-  
tim disponere, & meis non solum au-  
spicijs, sed & ductu in aciem & apertum  
Famæ campum producere. Et sic tan-  
dem importunitas officiosa (an vitio-  
sa?) alienorum mihi expressit, quod pre-  
ces & monita nostrorum obtinere apud  
me hætenus non potuere. Nam (ut  
alios hîc & alibi taceam) quum anno  
superiori, statim ab exitu Magistratus  
mei, Dieisdæ tuæ dies plusculos, prius-

quàm ab Serenissimo Electore, à quo  
per litteras excitus eram, dimissionem  
Amplissimus M O S E R U S mihi impe-  
traret, hærerem; memini in ipsâ Cu-  
riâ & Augustali (liceat mihi sic appel-  
lare) quosdam tui loci atque ordinis,  
immò te ipsum, Nobilissime P R A E-  
S E S, cùm non ita pridem hîc esses, me-  
cum sermonibus agere, ut quæ Rector  
passim promulgassem, cuncta uno qua-  
si contextu iterum publicarem. Ego  
Verò omnia ea majorum, ut sic di-  
cam, minorumque gentium incentiva  
insuperhabui: neque quicquam eorum  
omnium hunc animum ita inflexit, atq;  
istæ typographorum minæ. Quanquam  
& illud haud parùm me movit, dum  
quædam illorum, in quæ fortè incidi,  
ita vitiosè praveq; descripta vidi, ut pe-  
jerassem de me auctore, nisi occulta  
quædã *γωπίσματα* & monimēta foetum  
patri adseruisset. Omnia igitur illa scri-  
pta, vel certè pleraq; hîc nunc edo: atq;  
eo potissimum ordine quo olim inti-  
mata fuere: etiam TESTIMONIA, quæ  
civibus

civibus & alumnis nostris dedimus. ita dico etiam Testimonia. Nec factum excuso. nam sicut cætera, ita & hæc ferè omnia licentia typographi, procurantibus illis ipsis, quibus data, jam produxit, & passim disseminavit: more & exemplo non valdè bono, & cui ipse non semel convicium feci, atq; in Senatu nostro; hodie tamen & hisce moribus nimium pervulgato. Si maximè ergo hic culpa aliqua mea sit, potero majorum exemplo honestius vapulare, & vice alicujus Centurionis. Frustra en-  
 famus omnia, quæ consuetudo & vis illa quasi major nobis obduxit, corrigere & ἐξουχίζειν — ἀμαρτωλαὶ ᾧ ἐν ἀνθρώποισιν ἔσσονται. In universum autem nec novi atis culpa impingi mihi fortasse debuit, ac si scripta ejusmodi nunquam antea sic conjunctim ab alio edita essent. Ego quidem, quid a-  
 libi fiat, nescio: neque enim in omnium scripta aut consilia inquisivi. apud nos certè Tomos sex septem *Scriptorum publicè propositorum* Minister Academiae olim collegit, disposuit, edidit.



Quid? quòd hoc ipso tempore consi-  
 lia agitantur, de edendis etiam reli-  
 quis ordine ad hunc usque diem omni-  
 bus? Sit igitur hoc meum quasi *πρόγνα-  
 μα* aut *οκιάγραφοί* futuri illius Operis.  
 Animavit tamen me etiam exemplo  
 suo primarius quidam Academiae Pro-  
 fessor & JCrus alibi: qui similiter, quæ  
 in suo Rectoratu gesta sunt, ad hanc  
 faciem concinnavit & edidit. Sed u-  
 trum ob id etiam vapularit, nescio. Me  
 certè exemplo suo, ut dixi, magis etiam  
 animavit, ita ut minus jam morer, quid  
 hic vel ille suspicetur aut effutiat, pro  
 suo morbo aut seculi more. Illum *Le-  
 ges* suæ defendant, me *Licentia* mea *Poë-  
 tica*, & insuper ea quæ dixi; immò ea  
 etiam, quæ si quis roget, ampliùs dictu-  
 rus sum. Adeoq; tu etiam, Nobilissi-  
 me P R Æ S E S, quod in te est, auctori-  
 tatis tuæ clypeo defensum ibis, quæ no-  
 men tuum tam bonum, ut notam non  
 malæ mercis, in fronte præscriptum  
 habent. Neq; mihi fit dubium, si velle-  
 viter connisus fueris, quin omnia ista  
 sive invidiæ sive calumniæ tela tam  
 perig.

P R A E F A T I O

peritura sint, quàm pisa aut lentes in  
extremâ viâ solent VVonsesij, ubi me  
natum, aut certè lustratum dicunt  
XVI. Maji, quo die hæc scripsi, & tuo  
nomini, P R A E S E S, inscripsi VVit-  
tebergæ jamnon Rector, sed

Rectorius: A N N O

cl. lcc. lX.



A

FRID.

FRIDERICI TAUBMANNI  
 OBI RECTORIS  
 O T T I V M S E M E S T R E  
 P U B L I C U M.

---

RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS, BONARUM LITTERARUM  
 Professor publicus

ACADEMIÆ CIVIBUS S. D.

**H**OC AGITE. *E caelis hodie venit hospes,  
 & hospes*  
 SPIRITUS: ille Dei qui spiritus audit, & olim  
 Ignigenas linguarum acies vibravit in agmen  
 Pubis A, ostolica manifesto lumine quantum est  
 Numinis adspicui; qui Cæli-arcana saluti  
 Gentis-Adamigenum vulgarent debita Mundo.  
 Hospitium propera e. vides, ubi maximus urbi  
 Saxo, vel Augusti majestas sacra Rudolphi  
 Imminet, omnis ut omnia vi festinet ab omni;  
 Spera levat, hiulca coarquat, opaca serenat.  
 Ito per exemplum, mea Pubes, ito. Cor illud  
 Numinis hospitium est: lotum Cor sanguine Christi.

Hunc

Hunc Numen res certa locum magis omnibus unum  
 Post habito coluisse polo. hic illius arma

Hic currus fuit : hic regnum sibi SPIRITUS esse,  
 Si qua fata sinant, semper tenditq; fovetq;

Nunc, nunc fata surrent, modo vos finite esse, quod  
 urget

SPIRITUS. Et, melius quia factu, scitis : &  
 exstat

Norma-Boni digito tabulis inscripta Iehova.

Scitur item, quid Lex, & quid Rubrica minetur

Cesaris, & quid Saxo pater Rescripserit, & quid

Publica lex hominum Naturaque diciter. Hoc  
 fac,

Qui meus es Civis, & cui sit Spiritus hospes.

Quis furor est, usum rapida permittere vite,

Et Christum, & sacrum pretiosi sanguinis ostrum

Ludificare probris ? Non est loliginis atræ

Succus hic, aut Tyrie quem sudat purpura piscis.

Agni ille est sanguis : agni, quem tradidit Orbi

Vpilio Omnipotens : tibi qui data viclima mortem

Expiet æternam profusi sanguinis undâ.

O miseri spectaculum hominis, cui nata saluti

Pacta-Dei, sanguisque Dei sit sanna, Deusque !

Non hic Taubmanni calor est Rectoris : ab ipso

Rectoris rectore Deo defluxit ; & urget

Horrificis scelus omne minis. Audi, mea Pubes :

Audi ? immò ausculta : sed & hoc quoque. Munus

ad A R A M

Pone tuum, quant illum istud : modo pectore puro.

Omne

OMNE Deo Sacrum tanto pretiosius in se  
 Pondus habet, quanto probior, qui sacrat, habetur.

P. P. Solemnibus Spiritus Sancti,  
 Anno Christiano M. DC. VIII.



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-

NUS, BONARUM LITTERARUM

Professor publicus.

**I**L L U X I T dies verè Dominica, gaudijs &  
 exultatione plena, dies DOMINO SANCTO  
 consecrata, ei nimirum Domino, qui ipsa san-  
 ctitas est, & sine quo Christum nemo vocare  
 potest Dominum. Hodie veritatis demon-  
 strata fuit veritas, hoc est, promissionum di-  
 vinarum certitudo: hodie ijs, qui ex gentili-  
 tate nati sunt, præclare consultum est: hodie  
 Redemptionis nostræ indubitata facta obfi-  
 gnatio. Nam quam divinarum promissionũ  
 Maximam nobis præscripsit Regius Psaltes,  
 Psal. 34. 4: *Rectum est verbum, seu promissio Domi-  
 ni, & omne ejus opus in fide seu veritate*: eam dies  
 nostra Dominica eventu ipso, ceu luculento  
 exemplo, comprobavit. Promiserat Chri-  
 stus discipulis suis S P I R I T U M S A N -  
 C T U M

CTUM, Johan 16. tanquam eximium sui ex hoc mundo abitus ἀποίβεια, nostrique aliquando discessus συνέμφορον: id jam die à discessu suo decimâ sanctissimè præstat, ubi ante annos jam 1575. Apostoli ὁμοθυμαδὸν congregati supernâ virtute induuntur, & ut Poëta Christianus loquitur,

—Pater Omnipotens, superaq; æquævis ab arce  
 Filius, aspirant unâ omnipotentibus auris,  
 Infunduntq; viris numen. Deus ecce repente  
 Ecce Deus, cunctis divinitus algida corda  
 Incipiunt afflata calescere: numine tacti  
 Implentur propiore viri, sacrumq; furor em  
 Concepere, Deumq; imis hausere medullis.

Hâc deinceps virtute ornati, hoc sacrosancto numine afflati duodecim-viri isti idiotæ orbem terrarum pellustrarunt, afferentes Evangelium pacis ad nationes exterarum, quarum neq; linguam didicerant, neq; mores cognoverant unquam, felici tamen lætissimoque successu, ita ut Apostolus Gentium fateatur, suo jam tempore Evangelium fuisse in universo mundo, fructificasse & crevisse, Col. 1, 6. operas inter se dividentibus, Apostolis: ita ut, secundum aliquos, Thomas & Bartholomæus Orientem; Simon & Matthæus Meridiem; Philippus & Thaddæus Septentrionem; Matthias & Jacobus minor regiones

regiones mediterraneas; Johannes & Andreas maris mediterranei provincias; Petrus & Jacobus major Occidentem circumirent: Longè maximum hoc est S. Sancti & beneficium & miraculum: Beneficium quidem, quia absq; divina istorum idiotarum illuminatione fuisset, nemo nostrum hodie de religione Christiana sciret quidquam. E visibili autem effusione S. Sancti, & hinc subsecuta Apostolorum prædicatione, colligit B. Hieronymus in cap. 24. Matth. non remansisse aliquam gentem, quæ Christi nomen ignoret. Miraculum verò, quia longè mirabilius est; homines litteris ne quidem leviter tinctos uno momento omnium gentium linguis loqui; nullo eloquentiæ usu exercitatos extempore tamen persuadere posse sapientibus hujus seculi, stultitiam mundi summam esse sapientiam; quam vel cæcis visum, vel mortuis vitam restituere. *Hoc enim ipsum maximum est miraculum, inquit Chrysostrimus Homil. 1. in acta Apostolica, absq; miraculis orbem terrarum accurrere, à duodecim pauperibus & illiteratis viris attractum.* Et addit Augustinus lib. 5. de Civ. Dei cap. 22. *Hoc nobis grande miraculum sufficit, quod ea terrarum orbis sine ullis miraculis credidit.* Ex quibus omnibus clarè liquet, quanta ex hodierni diei maximo miraculo redundarit utilitas ad despectam & abjectam gentilium famili-

familiam. Ex eodem fonte derivatur tertium felicitatis & lætitiæ hodiernæ argumentum, quòd beneficio effusi S. Sancti Christi in nos collata merita, quibus hactenus templorum nostrorū insonuere parietes, in cordibus nostris obsignantur: unde & *arrha* & *pignus hereditatis nostræ* appellatur, Eph. i. Fit autem illa obsignatio per Fidem, juxta illud: *qui accepit testimonium Christi, id est, qui Christo credidit, obsignavit, quòd Deus verax sit*, Joh. 3; 33. Fides autem est ex ministerio verbi Rom. 10: 14. ministerium verò verbi est ministratio S. Sancti 2. Cor. 3: 8. Ideò neque de fide, neque de merito Christi absque Spiritus Sancti testificatione certi esse possumus. In hac meditatione panditur abyssus misericordiæ & dilectionis Patris æterni, quam missione Filij sui in carnem declaravit, de qua B. Paulus loquitur Rom 8: 32. *DEVS proprium filium pro nobis tradidit, quomodo non etiam omnia cum illo donet?* Verè enim donavit omnia cum Filio, per Filium Spiritum Sanctum, per Spiritum Sanctum verbū, per verbum fidem, per Fidem vitam æternam, quem finem fidei qui consequitur, verè possidet omnia: *Ibi enim festivitas erit sine fine æternitas sine labe. serenitas sine nube*, ut Augustinus alicubi loquitur. Sed nolumus his, qui Sacris præfunt, materiam dicendi præripere. Vestrum est, Cives Academici, his & similibus

libus



libus meditationibus hosce dies festos celebrare, & illibata vitæ sanctimonia moribusq[ue] ordinem vestrum decentibus hospitium Hospiti tam sancto sedulo præparare: quin & gratitudinem benevolentiamq[ue] vestram erga dispensatores mysteriorum Dei oblati pro more solenni muneribus ad aram, declarare. Quod ut frequentes & ex animi sententia faciatis seriò volumus, certissimã pietatis vestræ remunerationem à Spiritu illo gratiæ bonorumq[ue] omnium liberalissimo largitore vobis pollicentes. P. P. in Festo Spiritus Sancti. Anno M. DC. VIII.

Interprete Pastore, Frid. Balduino, D. Theol. & tunc Decano, cui hoc munus cum Poetâ datum, & perpetuum in omni solempni Festo.

RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,  
FRIDERICUS TAUBMANNUS,  
BONARUM LITTERARUM  
Professor publicus.

GEORGIUS LÆLIUS, quod facere diu  
gminatus est, heri fecit, hoc est, iuit, quod  
dives Tellus & Ancus: vel potiùs, quò divus Paulus & Adam. Gratulemur ipsi hoc facinus & virile & Christianum, quo & patientiã morbum, & fide mortem victus vicit. Nomen  
ipsum

ipsius elocuti sumus. Officij quid gesserit, neque opus ut ego dicam, neque tu, qui non heri aut hodie in Academiam venisti, facile rogaveris, nisi idem fatearis, quod sis

*Parcus Iehovæ cultor & infrequens.*

Consuetudini tamen hoc dabimus. Aeditimus fuit & νεωκόρ in templo Academiae ad annos undeviginti, fidelis & industrius. Neque sane vile & abjectum munus est, aeditimum esse, si vero suo pretio & ex affectu pietatis aestimetur. Certè Rex & Propheta David calidè optat, ut *Ianitori* sibi esse liceat in domo Domini. fas enim sit in hoc quoque schema illud Psalmi induere. Audite etiam ex supervacuo, quàm mirificè sibi placeat Jon ille Apollinis & Creusæ F. aeditimus templi Delphici, illud quotidie scopis purgans & frondibus exornans, apud Euripidem:

Καλόν γε τὸν πόνον, ὦ  
Φοῖβέ σοι, πρὸ δόμων λατρεύω,  
Τιμῶν μαντεῖον ἔδραν.  
Κλεινός δ' ὁ πόνος μοι,  
Θεοῖσι δέ λαν χέρ' ἔχειν,  
Οὐ θνατοῖς, ἀλλ' ἀθανάτοισι,  
Εὐφάμοις πόνοις μοχθεῖν  
ὅτι ἀποκάμψω. id est.

*Honestum certè laborem, ὦ  
Phæbe, tibi ante adem servio*

B

*Colens*

*Colens Oraculorum sedem.*

*Præclarus enim est iste labor mihi,*

*Dijs servam manum præbere.*

*Non mortalibus, sed immortalibus &*

*Gloriosis laboribus exerceri*

*Non recusabo.*

Mirum profectò, tam illustri loco natum tantopere sibi munus æditimi gratulari! Hoc ergo nos semper miremur, & hodierna die nostro **ÆDITIMO** exsequias eamus: in primis, qui Cives sumus Academiae: nec minus ceteri. Qui enim ad illud templum, quod Lutheri & Philippi cineres etiam nobilitant, viam toties munivit præivitque, ut omnis generis sollemnia videretis, Musicam laudibus Jehovæ operatam, & quod præcipuum, Domini Verbum audiretis; eum fas & jus esse censeo, semel à nobis ad dormitorium suum honestè produci. Facite hoc, mei cives: nec pudeat vos hujus officij. Et quod Pomponius Poëta, diu ante natum Christum, nescio cui dixit, hoc tu tibi, quisquis es, post eum, in Christo, atque ad Christum sincero animi affectu inter exsequias dicas:

*Tibi appareo atq; æditimor in templo tuo.*

Cæterum (ut hoc etiam quasi præteriens prætereuntem moneam) *Lælius* hic natus fuit

Noris

Noribergæ in suburbio, anno Christi (quod tamen confuse scitur) M. D. LII I. & postmodum operam famulitij sui ad decennium hic apud nos probavit populari, aut potius civi suo, nobilissimo olim Medico Elect. Sax. & Academiae nostræ Professore, *Salomoni Alberto*, & verè ingeniosi illius Genij patriæ, Noribergæ inquam, participant. Sed hæc olim fuere, P. P. Dominicâ Trinitatis, ANNO Christiano M. DC. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-

NUS, BONARUM LITTERARUM

Professor publicus.

**V**T res humanæ sunt, nullus ordo vitæ mortalis re tam benè constituta fuit, in quo non sint inventi, qui, ob egestatem, interdum aliorum opem simplorare necesse habuerint. Hinc videmus in Rebus pub. non malè compositis illiberales etiam tribulium opificum ordines symbolas suas conjicere, unde vel adventorū vel domi egentium inopia possit tolerari. Quid igitur nobis hæc in parte deceat, qui in omni liberali disciplina & ingenuo virtutum exercitio educamur,

B 2

nemo

nemo vestrum est, qui non, vel me tacito, per se rectissime intelligat. Certè in N O S O C I O M B O A C A D E M I Æ sumptus fiunt in pauperes miserosque nostri ordinis majores, quam quivis è vobis crediderit. Et nisi supplementum à vestra benignitate haberemus, non essemus tanto sumptui ferendo. Quandoquidem perexigui redditus in hunc usum à majoribus nostris sunt destinati. Quocircà singulos ex industria nunc hortamur, atque etiam rogamus, ut memores humanæ sortis, & sui præsertim ordinis egentium, qui hac ratione è publico alendi sunt, liberaliter de suo aliquid conferant, & fidei Fidellorum, qui domatim id per hosce dies proximos corrogatum ibunt, concedant. Vetus est & verum: Deo fœneratur, qui dat pauperi. Et, MUTUA SINT OFFICIA. Nam, verbis Poëtæ,

*Is, qui NIHIL adfert, merito NIHIL reportet.*

*SANCTA hoc SOCIETAS HOMINUM usq; & usq; constat,*

*STET UT OFFICIIS MUTUA MUTUIS vicissim.*

*At quos studiosos videas sui & suorum,*

*Partemq; alijs ponere de triente nullam:*

*Ne,*

*Ne, quæso, HOMINEM dicere neu velis  
putare.*

P. P. die XXII. Maji, anno Christiano  
M. DC. LIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS, BONARUM LITTERARUM  
Professor publicus.

**N**unc annus ipse est, Cives, cum primari-  
um Ecclesiæ & Academiæ Doctorem,  
GEORG. MYLIUM sepelivimus. Cujus  
Theologi memoria, ob multa & magna in  
Rempub. Christianam merita, nobis inpri-  
mis, & omnibus, qui doctrinam salutis nostræ  
nunc olim perpurgatam & hucusque adser-  
tam gaudent, singularis ac sempiterna meri-  
tò esse debet. Affectum suum in defunctū alij  
aliter hæctenus ostenderunt: hodie suum etiã  
probare nobis conabitur MARCUS PRA-  
SINIPPEUS Noribergensis: & ut speramus,  
& minæ ipsius sunt, bono eventu. Nam per-  
petuo illo Maronis filo peplum istud confe-  
cit, in quo laudes Mylianas intextas osten-

det : satis profectò laudabiliter , in anxiâ illâ  
& operosâ contextûs necessitate. Publicè id  
ad horam postea secundam in Collegio ma-  
jori exponet , & voce atque habitu oratoris  
animabit. Ad quod virtutis spectaculum  
ut frequentes conveniatis, sua quemque pie-  
tas facilè invitaverit. P. P. die XXII.  
Maij, Anno clò, Isc. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS, VVONSESENS. FRANCUS,  
Humanitatis Professor publicus,

LECTORI CVM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE

S. D.

**U**T ratio putatur, anni jam sunt quasi o-  
cto, cum M. CONRADUS SAHERUS  
BERNEG. Variscus, Societati Scholastica  
apud nos valediceret, & vitæ simul studio-  
rumq. Testimonium dari sibi à Magistratu  
peteret. Et datum fuisse, nos hodiè que me-  
minimus: quippe qui inter fidei faciendæ te-  
stes

Res tunc citabamur: & optima nota illud  
 fuisse, etiā commemorimus; hoc est, planè  
 ejusmodi testimonium, quale virtus ipsius  
 merebatur. Quid sit? Est in Franconiā Mar-  
 chionum superiori opidum ingenio loci &  
 hominum in proximis amēnū, & aliquandiu  
 Principalis etiam sedes, BIRUTHUM: ibi,  
 cū ante hos tres quattuor annos incendiū  
 forè excitatum esset immoderatum & ca-  
 lamitosum, opidum, j. maximam partem  
 corruptum & vastatū corrueret, factum ut  
 ignis istius violentiā Testimonium etiam  
 quod habebat, cum re librariā periret. Id igitur  
 ab oblivione & interitu vindicare, ob  
 causas, quas domi novit, voluit. Invenimus  
 autem, hunc CONRADUM SAHERUM  
 in hac Repub. litterariā versatum esse annos  
 septem: in ordinem & Album civitatis nos-  
 trae adscriptū anno Christiano M. D. XCII.  
 Rectore PETRO HEIGIQUICHO & Professe-  
 sore publico. Iam studia litterarum qua tra-  
 ctavit, scimus ea fuisse primariā destinatio-  
 ne Theologica: quippe qui ad hanc discipli-  
 nam peculiariter suo Principi obligatus e-  
 rat. At verò cū hic sciret, quod multi sa-



*nè aut nesciunt aut nescire simulant, Theologia* *hiscè moribus ritè tractari vix posse.* *nisi adiumentum habeat à sobriâ Philosophiâ, hâc ante omnia animum excoluit, e-* *gregio successu; quem hodie, credo, maximo* *suo bono, experiuntur quos ille in Ecclesiâ* *Culmbachij publicè hætenus docuit. Et n. n.* *(verba sunt Clemētis Alex.) doctrina Ser-* *vatoris ipsa sibi sufficit, nec opis alienæ* *eget, cùm sit potentia & sapientia ipsius* *Dei: tamē Græcanica Philosophia si ac-* *cessit, non quidem validiorem facit ve-* *ritatē, sed sophisticos insultus ab eâ a-* *molitur, & insidias omnes avertens, se-* *pes & lorica est Dominicæ vineæ. Hoc* *scivit noster SAHERUS: hoc secutus est: hoc* *etiam assecutus est. Ad mores verò quod* *attinet; sanè ut ipse Musicus fuit, ita mo-* *rum in eo suavissima harmonia. Probitas* *certè & modestia non ad vitæ usum modò,* *sed ad exemplum etiam sufficiens. Nihil* *exaggeramus: & qui hominem propiùs no-* *verunt, dicent fortasse, nos pro re minùs di-* *xisse. Quicquid fuerit, scimus, ita rem ha-* *buisse, ut in litteras nunc denuò, breves illas* *quidem, sed fide & auctoritate publicâ ar-* *matas,*

matas,

*matas, retulimus: quas dedimus, & Sigillo  
Academie insignivimus XVI. May, An-  
no Christiano M. DC. VIII.*



ITERUM SALVETE, CIVES  
ACADEMICI,

**E**T si quos fortè imparatos, aut non satis  
ex voto instructos heri offendit Archie-  
piscopi illius EGESTAS AN MISERIA, quam  
non modò Pietas Christiana, sed & Sacratif-  
simus Imperator Cæsar per litteras vulgò o-  
mnes; Serenissimus noster Elector speciatim  
nos etiam sublevare seriò voluerunt; eos  
hortamur, ut suas quoque symbolas hester-  
nis adjiciant; aut datum, si ita placuerit, ex-  
aggerent. Non negamus: insolens est binâ  
vice ab uno vos excitari. Sed & hoc inso-  
lens profectò est, Archiepiscopum, & illum  
Corinthium, & ob pium affectum in suos,  
tam immensam summam pecuniæ à Tyran-  
no Turcorum exigi.

*Propter MANDATVM assume  
pauperem, & propter inopiam ne dimittas  
eum vacuum. Benefac JUSTO, & invenies  
retributionem magnam: Si non ab ipso,*

CERTE à DOMINO: Ecclesiast. SUP-  
 PLEAT hoc tempore vestra abundantia,  
 istius defectum. ΙΣΤΙΟΣ, inquam, Κόσμος  
 μορφούς, τῷ ἐλέει τῶ Θεῷ (ipsius verbis &  
 professione) δεξιωσκότα Κορινθίς, καὶ  
 ἄρχα πάσης τῆς Πελοποννήσου. Cujus an-  
 ecessoribus D. Paulus, in adolecente  
 illà Ecclesiâ, hoc idem inculcavit. 2. Co-  
 rinth. 8. TAUBMANNUS Rector.

RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, BONARUM  
 litterarum Professor publicus,  
 LECTORI CVM DEBITA HO-  
 NORIS PRÆFATIONE  
 S. D.

**N**ON est de nihilo, quod Poëta, aut potius  
 Vates Romanus amico olim inculcavit,  
 Qualem commendes, etiam atque etiam  
 aspice, ne mox  
 Incuriant aliena tibi peccata pudorem.  
 Fallimur, & quondã non dignũ tradimus.  
 Non est, inquam, de nihilo. Sed nunc profe-  
 ctò non fallimur. Dignum tibi, quisquis es  
 Lector.

Lector, tradimus & commendamus ELIAM  
 DETLEVVM Lubecensem Saxonem: quipa-  
 pe quem, cum Praceptoribus ipsius primarijs,  
 etiam atq; etiam non adspeximus, sed inspe-  
 ximus. Scias igitur, hunc DETLEVVM in  
 hac scholastica societate versatum esse quasi  
 biennium: atque ita versatum, ut quod o-  
 lim in Sacris & ludis solemnibus populo ac-  
 clamabatur, HOC AGE, sibi, qui sacris Ecclē-  
 siae Christianae, & Ludo litterario interes-  
 set, acclamari unice crediderit. Nam  
 cum se & studia sua Theologiae potissimum  
 destinaret; noluit peccare, quod ferè so-  
 lent, peccatum, maximo Reipub. Christia-  
 nae malo; ut illotis, quod ajunt, manibus  
 sacratissimam illam divam contrectaret.  
 Sed os prius linguis necessarijs expolivit, pe-  
 ctusq; disciplinis artium & Philosophiae ita  
 instruxit; ut sublime illud sacrarum littera-  
 rum studium meliori auspicio affectaret, &  
 feliciter in eo deinceps versaretur. Gratulati  
 sumus, quod in nobis fuit, adolescenti hoc  
 iudicium, supra commune ferè aetatis ejus-  
 modi iudicium. Ad mores verò & reliquam  
 vitae rationem quod attinet, sic omnia sua  
 ad pietatem, honestatem, & quae istam aeta-  
 tem

*tem in primis decet, modestiam attemperavit, ut laudem eorum omnium, qui ipsi tales sunt, hucusque luculenter promeruerit: & uti spes certa est, ab se deinceps non abit. Ita vovemus; & ita hæc ex fide litteris commisimus, & sigillo Academia insignivimus, XV. May, Anno Christiano cl. lxx. II X.*



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS, BONARUM LITTERARUM  
Professor publicus.

**S**CITIS, opinor, in templo arcis Academicæ decem Cantores ali annuo fisci publici salario. In ijs jam duo desiderantur: unus, qui *Tenorem*, quem sic vocant, moderetur: alter qui *Basum* profundet & stabiliat. Qui igitur in hac scholastica societate artis & καλλιφωνίας alicujus sibi conscij sunt, & sui periculum facere volunt: ij nomina sua apud me profiteantur, atque ad diem Mercurij hora i. in templo Arcis compareant. Quod quispi-

quispiam è vobis tergiversari velit, numero,  
ut solet, Competitorum absteritus, aut alià  
aliqua *mixta* sollicitus;

*Is sibi responsum hoc habeat: In medio*

*OMNIBUS Palmam esse positam, qui*

*ARTEM tractant MUSICAM.*

P. P. die X. Maji, Anno Christiano

M. DC. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN.

NUS, BONARUM LITTERARUM

Professor publicus

LECTORICVM DE PITA HO.

NORIS PRÆFATIONE.

S. D.

**V**ETVS est Petronij Arbitri: NESCIO  
quâ fiat, ut Bonæ mentis soror sit  
paupertas. Hoc etsi vetus, hodieq; tamen  
vel primum veritatis momentum obtinere  
estem laudo experientiam. Quàm multi  
enim vel nostri ordinis reperiuntur, qui  
Poëtae illud verè & liberè, non superbè de se  
dixerint; Inge.

Ingenio poterā superas volitare per arces,  
Me nūi paupertas invida deprimeret.

Ita profectò est: multos ad terrā affligit tris-  
tis & scæva illa paupertas, qui, si esset ut bo-  
nis benè uterentur, nomen suum in sublimi  
illo Virtutis & Famæ templo dedicare pote-  
rant. In quorum censu, quos paupertas illa  
exercuit, reperitur etiam LUCAS MIK-  
SCHANUS Hunnobrodanus Moravus.  
Is cum ab hinc biennium studiorum causa  
huc veniret, nec satis firmum sibi presidium  
ad litteras discēdas haberet, coactus est opel-  
lam, & temporis sui partē alijs venditare,  
vitamq; famulatio tolerare: ut ita studia  
sua, quibus posset modis, sustētare. Quam-  
vis autem res ipsius ad hanc faciem compa-  
rata essent, ita tamen in bonis litteris per hoc  
tempus profecit, ut palmam multis etiam  
facere possit ambiguam, quibus ad profectū  
laudabilem planè nihil defuit. Qui vult  
periclitari, facito. re experieris, nos supra  
rem nihil extulisse. Reliquum vite si esti-  
matur, hoc exploratum habemus, ipsam  
(quod caput est universæ laudis) FIDELIEM  
suis fuisse; & aliàs etiam erga omnes, cu-  
juscunq; ordinis, pro re & loco aptum com-  
modamq;

modumq; & planè talem, qualem decet esse,  
 qui se Pietatis & literarum Candidatum  
 profitetur. Ab his igitur virtutibus nos  
 hunc MIRSCHANUM omnibus Bonis &  
 Doctis, & quorum in manu est tales juva-  
 re, quantum possumus, serió commendamus.  
 Per scriptum, & Sigillo insignitum IX. Maij,  
 Anno Christiano M. DC. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, PROFESSOR  
 humanitatis publicus.

LECTORI CVM DEBITA HO-  
 NORIS PRÆFATIONE

S. D.

CVM varie sint multiplicesq; humano-  
 rum pectorum latebrae, quas nec perspi-  
 cacissimus, uti par erat pervidere semper pos-  
 sit, non temeraria aut effutilla censeantur,  
 quae χρησολέγ & ille Megarensis olim  
 memoriae posteritatis dedicavit,

Μή ποτ' ἐποινήσει πρὶν ἀνείδῃς ἀνδρα σαθρῶς,  
 ὄργην καὶ ρυθμὸν καὶ τρόπον ὅς τις ἀντ'.

Ἰσημῆν (quod aliter Gracius ait) ἀμαρτία καὶ  
 ἁμαθία

ces;  
 et.  
 e tri  
 t bon  
 limi  
 pote-  
 illa  
 IKS  
 vus.  
 iussa  
 lium  
 opel-  
 are,  
 u dia  
 am-  
 mpa  
 er hoc  
 tiam  
 fectū  
 uoles  
 supra  
 i asti-  
 ipsam  
 ELEM  
 s, cu  
 com-  
 am





ἀμαθία, μέμφομαι αὐτὸ τε τὰ ἐπαίνετα, καὶ ἐπαί-  
νεῖν τὰ μωρητά. Quocirca, ut in ceteris vit-  
tae humanae partibus nihil temerè attempta-  
re, prudentis censetur; ita in Repub. etiam  
litterariâ circumspectè inprimis agendum,  
est ijs, qui morum ac studiorum testimonia  
alijs impertire jus habent. Quae muneris  
partes cum mihi hodie auctoritate publicâ  
commendatae sint, memores fidei & officij  
quod gerimus, FRIDERICUM KNOF-  
IUM DANUM Academiae nostrae alumnum,  
à fide & vero alijs commendamus: neque  
ex audito sententiam testimonij nostri aut  
illustramus aut roboramus; sed oculati ut-  
plurimum arbitri & vitae & studiorum  
suimus; quippe qui ipsum propius & fami-  
liarius, dum quidem hic vixit, novimus.  
Ergo qui haec legis, & cuius ista non nescire  
interest, scito, hunc FRIDERICUM KNO-  
FIUM civem Reipub. hujus litterariae suis-  
se ad quadriennium: linguarum artiumq;  
liberalium & Philosophiae studia curiosè &  
de industriâ pertractasse: meditando, disput-  
tando & respondendo ingenium, iudicium  
& dexteritatem doctis probasse: & ita in  
singulis profecisse, ut ad sublimes illas The-  
logorum

logorum scholas, quibus se & studia sua ex  
 voto & institutione quasi paternâ sacra-  
 vit, abundè virium & apparatus habere  
 iudicatus fuerit. Atque utinam ad hoc  
 exemplum omnes illi, qui se Theologia Can-  
 didatos hodie profitentur, animati essent;  
 & tanta domina, Theologia inquam, tam  
 liberalem ancillam Philosophiam paullo ho-  
 nestius tractarent! faxim majori cum dex-  
 teritate, sed & fructu, in scholis juxta &  
 Ecclesijs, sacrosanctum illud DOMINI  
 Verbum alicubi doceretur. KNOFIUS no-  
 ster hoc fecit, & legitimâ viâ ad Scholas il-  
 las Theologorum, bono suo maximo grassa-  
 tus est. Cæterum ad mores & reliquam  
 vitæ rationem ipsius quod attinet, (ut pau-  
 cis te absolvam) sic comparatum fuit, ut is  
 ad exemplum scholasticae pubis non factus,  
 sed natus videretur: adeo omnia ipsius (quæ  
 fieri quidem potuit humanitùs) dicta fa-  
 ctâq; ad pietatem, honestatem & comita-  
 tem (ut Comius loquitur) valebant. Atque  
 hoc est, quod de studijs & moribus FRIDE-  
 RICHI KNOFII fide bonâ & auctoritate  
 publicâ testari nunc habuimus; quæ & Si-  
 gillo

gillo Academia usitato insignivimus, Non-  
nis Maji, Anno Christiano M. DC. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,  
FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, PROFESSOR Bo-  
narum litterarum publicus,  
LECTORI CUM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE  
S. D.

IOHANNES KNOFIVS Danus, studio-  
rum & vita Testimonium à nobis petijt.  
Quòd cum faceret, visus est ilicò causse sue  
quasi prævaricari. Nam quod petebat, jure  
quodam suo aut postulare debebat, aut à no-  
bis ultrò auferre. Natus ille est in Daniâ ho-  
nestissimo loco. ubi cum lacte ipso & in pri-  
ma illa domestica institutione semina vir-  
tutum & omnis doctrina liberalis jam tum  
puer concepit. Argumento sunt & fratres,  
quos ille ex eadē domo & institutione plu-  
res habuit, sed omnes in omni liberali do-  
ctrina ita eductos, ut facile appareret, eos  
non sanguine tantum & satū parentū, sed  
& di-

& disciplina cultu fratres germanos esse :  
 adeo pulchrum inter ipsos certamen hactenus  
 certatum est. Abdebat urhic IOHANNES  
 aliquandiu in scholam Principalem, quae  
 Heilsbrunnæ est Francorum, planè condi-  
 gnium ingenio suo Ephebeum, ubi & meam  
 juventam sub liberali magisterio olim exer-  
 citam fuisse, cum quâdam voluptate, & ne-  
 scio quo γαργαλισµῶ (liceat hic affectum  
 meum alijs ostendere) mecum recordor. Fon-  
 tibus illis salutaribus pro ætatis modo abun-  
 dè haustis, concessit V Vittebergam; ut fun-  
 damentum illud litterarum altius altiusq;  
 operâ majoris scilicet magisterij, erigeret.  
 Quod & præclare successit. Brevis enim in-  
 disciplinâ Humanitatis & Philosophiæ par-  
 tibus ita profecit, ut si aut docendi aut dispu-  
 tandi res sit, jure bono præfari possis, quod il-  
 le Operi suo è Poëta præscripsit :

———— Audite ô mentibus æquis,  
 Æneadæ, nevé hæc nostris spectentur ab  
 annis

Quæ ferimus — Etiã Theologiam nuper  
 affectavit : affectavit autè ? immò (ut in eâ  
 veteres & exercitati fidem nobis faciunt)  
 ita calidè & firmiter arripuit, ut ea ab hoc

unicè teneri & tractari, maximo Ecclesie  
 Christianae bono, deinceps velle videatur.  
 Jam de moribus ipsius quid attinet dicere?  
 Nempe ita per hoc biennium, & quod ex-  
 currit, inter nos vixit, ut planè nihil ab ins-  
 genio & moribus fratrum natu majorum,  
 quos constat fuisse compositissimos, diverte-  
 rit. Vos, quicumque & ubicunque estis, qui-  
 bus Virtus & Doctrina cordi, & quorum in  
 manu est pretium & premium talibus con-  
 stituere, hunc JOHANNEM KNOFIUM  
 aut Re, aut Opera, aut Consilio, boni publici  
 causa, juvate. Ita vos & vestra DEUS:  
 quem ideò etiam veneror, qui hæc testabar,  
 & sigillo Academiae insigniebam, Nonis  
 Maji, anno Christiano cl. lxx. iix.



## RECTOR ET CONSILIUM PUBLICUM.

Quoties & quàm severè & destriçtè, &  
 disertè MANDATUM manu exara-  
 ta, tum typis descripta, à Serenissimo nostro  
 Magistratu hic publicata atque imperata  
 sunt? ne quisquam è nostris, quiqui sit, cujatis  
 sit,

sit, ULLAM FERAM, sive ea minor sive  
 major fuerit, bipes sive quadrupes, in lacu lu-  
 cove aut quocunque agri Wittenbergensis  
 loco, clam palamve, ullo teli genere, quo no-  
 mine cunque censeatur, occupet, aut confi-  
 ciat. Et tamen (quod revera dolendum est)  
 reperiuntur in vobis tam abjectæ & profligatæ  
 improbitatis nonnulli, ut contra fidem  
 conscientiæ, ista omnia quasi pedibus procul-  
 cent. Et quia hesternæ vespere **NOVO MAN-**  
**DATO** excitati denuò sumus, ut petulantiam  
 istorum, qui **FERAS** consecantur, coherce-  
 remus, voluimus & debuimus Illustris. no-  
 stri Magistratûs voluntatem sine morâ nunc  
 iterum publicare, eamque feroculis istis ob-  
 oculos in clarissimâ hac luce ponere: ne ullo  
 modo ignorantiam, etiam ij, qui heri aut nu-  
 dius tertius supervenêre, possint prætexere.  
 Pluribus & calidioribus verbis sententiam  
 nostram nunc quidem non exasperabimus:  
 sed erunt, qui istos aucupes ex insidijs aucu-  
 pentur. Si quis deprehensus fuerit, ita pro-  
 fectò cum eo experiemur, ut cæteris exemplo  
 sit, ne posthac tale, contra tot Magistratûs  
 interdicta, attentare audeat. *Voluntario faci-*  
*nori, inquit Tullius, veniam dari non oportet.* P. P.  
 XII. Calend. Majas die, anno Christiano  
 clo. lxx. II X.


RECTOR ET CONSILIUM  
PUBLICUM.

QUANDOQUIDEM tu N.N. ab juratis Academiae ministris, bis tēve citatus, apud Magistratum, cui Sacramentum dixisti, comparere necdum voluisti: Nobisque nihilominus exploratum sit, te in Civitate nostra adhuc latitare, lucifugam publicā hāc significatione è latibulis (tuo bono, si parueris) denuò excitamus; & seriò volumus, ut horā postea quartā in Consistorio atque ad Senatum nostrum compareas. Ni feceris, jam nunc poenam, tibi post solemniter indicendam, quasi in aurem prædicimus. Quam illam? Quam leges & autoritas summi nostri Magistratus tanto facinori sancivēre, PERPETUAM CUM INFAMIA NOMINIS TUI EXCLUSIONEM. Terribile hoc profectò est, & ad quod animus ingenui hominis, ne dicam Christiani, cohorrescat. P. P. die VI. Junij. Anno Christi cl. lxx. IIX.

RECTOR ET CONSILIUM  
PUBLICUM.

QUASI per strepitum audimus, ab ijs tamē  
men, quorum fides apud nos vetus est; ad

ad basilicam heri affixam fuisse chartam, quâ  
civilis quædam Erinny's pacem Reipub. no-  
stræ velle turbare visa est, atque classicum ad  
seditioem canere. Indignum & ab omni hu-  
manitate remotissimum facinus: & cujus  
auctorem meritò pudere & pœnitere debe-  
at; si aut per ætatem, aut iracundiæ calorem,  
aut vindictæ cupidinem (ita mollissimè di-  
camus) facinus hoc suum vero suo pretio æ-  
stimare potuisset. Sed quicquid hujus sit; vos  
omnes, qui nostri & sanæ mentis estis, seriò  
atque ex fide juramenti, quod Academiae di-  
xistis, à tam immani & periculosâ molitione  
dehortamur. Jurati estis: (audivit Jus & Fas:  
Terra & Cœlum audivit juratos:) *S I qua inju-  
riâ affectus fuero, neq; ipse, neque per alium quemcun-  
que ulciscar me ipsum: sed Rectoris auxilium implo-  
rabo, & IVSTE persequar IVS meum. ITA ME  
DEVS ADIVVET!* Hoc ergo potiùs faci-  
rote, ac justum quod est justè exsequamini.  
Ita vos DEVS juvet. Idque ut faciat, nos se-  
riò optamus, qui hæc publicè propo-  
suimus, VI II. Junij, Anno Chri-  
stiano. c. l. c. I I X.





RECTOR ET CON-  
SILIUM PUBLICUM ACADEMIAE  
VVITTEBERGENSIS.

QUUM quilibet fortunæ suæ architectus esse dicatur, quumq; tu N. N. ita te hactenus comparaveris, ut in officinâ quasi quâdam Improbitatis & Nequitia ad omne genus malitiæ, proterviæ, contumaciæ, atque sceleris & confirmatus & obfirmatus novo planè exemplo videri queas: quo nomine passim malè cognitus, sed & liquidò confessus aut convictus es: quumq; adeò nuper propter multiplicia facinora ad causam dicendam sub interminatione Exclusionis famosæ citatus libello solemni, copiam ac præsentiam tuam facere, malitiosè ac dolosè detrectaveris, atque ita fidem datam perfregeris, eoq; ipso facto eam Exclusionis pœnam jure summo incurreris, quâ etiam pœnâ te hinc cum infamia facessere in perpetuum tuo merito iusturi eramus, nisi Parentis tui, religiosi ac venerandi senis, supplicibus precibus ac lacrymis locum relinquere pium & æquum duxissemus

semus: propterea Nos te prædictum N.N. ex  
 hac Academiâ nostrâ ad annos V I G I N T I  
 relegamus, & hoc ipso die ante Solem occa-  
 sum exesse jubemus: ut & tu ad bonam, si  
 fortè, frugem hoc pacto queas corrigi, & cæ-  
 teri clarè cognoscant, perditos & profligatos  
 istos mores neminem impunè laturum. Pro-  
 mulgatum XIX. Junij, anno Christi Jesu, qui  
 tui misereatur, cl. lcc. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, BONARUM  
 Litterarum Professor publicus,

LECTORI CVM DEBITA HO-  
 NORIS PRÆFATIONE  
 S. D.

**E**G O idem ille ex fide & veritate testor,  
 præsentem LEONHARTUM AM-  
 BERGIUM, optimarum artium Magistrũ  
 (quo Philosophiæ titulo ante septem annos,  
 me Decano, jure merito insignitus fuit) &  
 nunc Theologiæ Candidatum ac Verbi Di-  
 vini Praeconem ordinatum, domo Witte-  
 bergens

bergensem, honestisq; parentibus (quorum  
 alter potioris sexus hodieq; vivit) honeste  
 natum atq; educatum: honestis disciplinis  
 à puero eruditum: ita hic in studijs ac mo-  
 ribus versatum ac spectatum esse, ut animū  
 humanis ac divinis literis instrueret, vi-  
 tam modestis ac moderatis artibus condeco-  
 raret: eoq; nomine multis Professoribus no-  
 tum ac probatum fuisse. Quarum virtus  
 tum & animi & ingenij comitatu pulcher-  
 rimo munitum, porro omnibus bonis & do-  
 ctis, cujuscunq; ordinis sint, commendatum  
 de notā interiore esse cupimus: atque ut ita  
 sit, rogamus. Per scriptum & ob signatum  
 Wittebergæ pridie Viti Juliani. M. DC. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS, BONARUM LITTERARUM  
 Professor publicus.

MIRABILE dictu est, atq; etiam, si quic-  
 quam aliud, miserabile. Geminum fu-  
 nus hodiernā die efferetur, atque alterum  
 eorum

eorum heri jam sepultum est; & ab illo ipso quidem, quod hodie demum à nobis sepeliri debet. Sed hoc mirabile planius dicamus. Optima fœmina CATHARINA Ornatissimi Viri DAVIDIS ERHARDI Cantoris & in scholâ oppidanâ juventutis Magistri fidelis & industrij quondam conjux; ea partui vicina cùm parere non posset, occubuit: & quem foetum eniti in lucem non valuit, intra viscera & domesticum quasi sepulchrum jam non mater sed vespillo sepelivit, ipsa paulò post ab alijs sepelienda; idque ad horam hodie *Secundam*. Cui fini hoc etiam nunc præcipuè publicavimus: nempe ut ad debitæ humanitatis officium vos, qui Reipub. litterariæ nostræ cives estis, invitaremus. Quam autem jam denatam querimus & miseramur, ea nata olim fuit hic V Vittebergæ anno Christiano M. D. LXVI. die XXII. Maji: patre quidem V Volffgango Schreckenfuchs; matre verò sibi cognomine Arnoldi Blathies, honestis civibus. Anno M. D. LXXIIIX. die VI. Februarij virgo nupsit M. CHRISTIANO SALBACHIO, Magistro scholæ oppidanæ primario, viro optimo & doctissimo: fuitque conjugium ipsorum, ad annos undecim cætera ex voto, nisi quod sine prole: ternâ illa quidem ad tempus parentibus à patre communi Deo nostro ostensa, sed nullâ diu superstita.

stite. Viduitatem patientiâ toleravit annos quinque mensesq; totidem & quod excurrit. Anno Christi M. DC. IV. die III. Decemb. ad vota (quod dicunt) secunda transijt, & in matrimonium collocata est, qui eam nunc efferre destinavit, DAVIDI ERHARDO. Matrimonium quidem priori non absimile, & quod ad exemplum boni conjugij poterat sufficere; nisi peracerbo hoc casu ad extremum fuisset inquinatum: si ita loqui de eo fas est, quod occulta & divina illa fatorum dispositio ad nutum mirabilis & omnipotentis DEI sic disposuerat. Nostri igitur simus & Christiani, atque hæc talia miremur aut etiam miseremur: sed vim illam ab alto attrahentem sequamur, & æquum censeamus, ut homini non displiceat, quod videmus DEO placuisse. Atque hoc ipsum, quæ pietas ipsius est, etiam viduum atque adeò orbem jam nostrum facturum, nefas sit dubitare. Uti nec nos dubitamus, cives Academici, de vestro in has Exsequias affectu: quem ut frequentes in publicâ etiam luce ostendatis, de industriâ hortatores sumus. Non indignum est, qui nostris ad sepelitionem toties solemnî pompâ præivit, eum ut nos semel aliquando ad commune illud dormitorium adsectemur: cum præsertim operæ & pietatis nostræ pretium futurum sit Concio, quam Reverend.

Pastor

Pastor habiturus est. P. P. Die XXI, Junij  
Anno Christiano M. DC. IIX.



R E C T O R A C A D E M I Æ

W I T T E B E R G E N S I S ,


FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM LIT-  
terarum Professor publicus.

**O**LIM in gentilitate ( quod plerosque  
omnes scire opinor ) mortui effereban-  
tur noctu: unde candelas sevo vel cerâ cir-  
cundatas, sive ( ut uno verbo absolvam ) funa-  
lia ( unde & *funus* quidam volunt dictum ) in  
pompa exsequiarum pheretro præferebant.  
Et ista consuetudo funus ad faces & cereos  
deducendi, in prisca etiam Christianorum  
Ecclesiâ ( quod primâ fronte mirari possis )  
obtinuit. Sed obtinuit alio fine. quo illo? In-  
nuit D. Chrysostomus Homilia ad Hebr. his  
verbis: εἰπέ γὼ μοι, τί βέλονται αἱ λαμπάδες  
αἱ φαδραὶ; ἕως ἀθλητὰς αὐτὰς ( τὰς τε θνη-  
κότας ἢ νεκρὰς ) περιπέμπομεν; Quasi dicat au-  
reum illud os Theologi: Faces in exequijs  
Christianorum ideò accendi & funeri præ-  
ferri, ut significetur, defunctos deduci tan-  
quam athletas quosdam, qui devicto seculo  
ad

ad cælestem illum *βραβεύτην* ac *designatorem* pergant, præmium victoriæ accepturi. Sed hic mos, ut alia multa, postmodum exolevit. Et nos quidem sine strepitu & pompa nostros hodie sepelimus: nisi quibus de industria inter opes & vanitatem luxuriare, hoc est, ineptire alicubi placet. Modestiores qui sunt, satis habent, funus suorum deduci honestâ, & ad *συμπόσειαν* aliquam compositâ facie. Cujusmodi affectum hodierno die à vobis etiam flagitant cives quidam Academicæ, qui popularem & nudiustertius defunctum, CHRISTOPHORUM AVERMANNUM VVestphalum, ad horam postea duodecimam efferre destinarunt. Demus civibus nostris hunc affectum, quem humanitas ultrò dare jubet: & jam eò paratius demus, cum illi etiam rogant, quod jure quodam suo poscere poterant. Funus & curatores funeris populares, ad tempus dictum prosequamur frequentes, & affectum nostrum in civibus Reipub. litterariæ hæc etiam viâ & ratione probatum eamus: cum præsertim, qui efferitur, testimonium vivus promeruerit, quale illi habent, quibus cum pietate, virtute, & bonis artibus optimè semper convenit. Natus fuit patre Agricola, in pago quodam Oethinghausen, anno Christiano M.D.LXXXII. Postquam adolevit ad eam ætatem, ut disci-

plinis

plinis videretur habilis, missus est Lemgoviam; ubi ad annos tredecim in bonis litteris eruditus, porrò huc VVittebergam profectus, civem Reipub. nostræ se professus est: idque ante annum & menses quasi duos. Inter studia Philosophiæ, quæ calidè & attentè tractavit, certâ animi destinatione Theologiam affectabat. Sed dum hoc agit, sub exitum proximi veris feбри corripitur, & nudius tertius vitâ tandem prorsus eripitur; hodiè ex ædibus Thomæ Tischeri, altero ad Austrum Collegij vico quasi medio efferendus. **IT E** exsequias, & unâ illud veteris magistri inter eundem cogitate: *NON illos optimè vivere, qui diutissimè, sed qui MODESTISSIME.* P.P. die **XXIII.** Junij, anno Christiano clc. lxc. lxx.



**RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,  
FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM LIT-  
terarum Professor publicus.**

**T**HEODORUS PLATEANUS, Medicus quondam & Senator, partem hodiernæ solemnitatis sibi vendicabit: nec nobis adeò invitis; quia inter Ordinis nostri primarios  
FUIET



fuit: nec nullo ipsius merito; quod nobiscum  
 haud dubiè fateberis, qui, quæ dicturi sumus  
 ordine, cognoveris. URBIS est in finibus Mis-  
 nia, qua hanc & Voitlandiam Elister diri-  
 mit, CYGNÆA; non una laude nobilis: illa  
 tamen nec minimâ nec postremâ, quòd, post  
*Georgium illum Agricola, & Iohannem Rivium,*  
 magistros juventutis ferè sine exemplo Scho-  
 læ suæ Rectorem habuerit P E T R U M P L A-  
 T E A N U M: qui morum & disciplinæ tam-  
 ferium severumq; exercuit magisterium, uti,  
 quemadmodum olim, qui parum sanæ men-  
 tis & intractabiles erant, *Navigare Antyciras*  
 jubebantur: ita patrum memoriâ, patrum au-  
 tem? immò & nostrâ; si quem asperis incul-  
 tisque moribus significare volumus, eum *Cy-  
 gneam proficisci* jubemus: quasi ibidem, uti fa-  
 miator & *ἀκρόνηθς* ferrum, rubigine ad co-  
 tem deterfa, in splendorem dat; ita morum  
 scabrities ad disciplinæ scholasticæ rigorem  
 lævigetur & poliatur. Hanc igitur Patriam,  
 & hunc Patrem habuit noster T H E O D O R U S  
 P L A T E A N U S, qui ferias nostras ferales ho-  
 diè fecit: si ferale est officium, venire ad ex-  
 sequias; deducere ad sepulturam corpus, in  
 quo Anima, res sacra illa & Dei character,  
 paulò ante habitavit: epicediū audire: mor-  
 tem meditari; artem moriendi pro concione  
 doceri. Annus autem nativitatis erat à Chri-  
 sto na.

Anno nato sesquimillesimus tricesimus; ob au-  
 gustam illam Religionis nostræ Confessio-  
 nem hodiè que inter pueros etiam, quasi *ars*  
 quædam Evangelij ab Luthero reformati,  
 nobilis & augustus. Primum in hanc Ur-  
 bem & Academiam venit anno CHRISTI  
 cl. 15. XLIX. proximo scilicet ab Urbis  
 nostræ obudione: & deinceps, auspicijs & du-  
 ctu imprimis *Guari VVigandi Guarini* inter do-  
 ctiores sui temporis eximij, scholis Medico-  
 rum sese tradidit: & sectæ suæ magistris o-  
 ptimis quibusque sese applicuit, *Iacobo Mili-  
 chio, Melchiori Fendio, Ioh. n. Hermanno*, & in pri-  
 mis *Cassaro Peucero*. His magistris ille brevi  
 ita profecit, ut opera & cura ipsius in facien-  
 da domi forisque medicina certatim expete-  
 retur. Adeo quidem, ut, cum *V. N. Henricus  
 Gleisæaler* equestres copias in Gepidas adver-  
 sus Turcas duceret, is in castris illis mercede  
 Imperatoris publicâ medicinam exerceret.  
 Ex Hungariâ reversus operam suam condixit  
 ductori Equitum *Paulo VVobosero Pomerano*, qui  
 tunc auspicijs Optimi & Illustris. Principis  
*Alberti Borussiae Ducis* militabat. Confecto  
 illo bello, huc ad litteras & antiqua Musarum  
 otia concessit. Iterum tamen bello Gotha-  
 no, anno Christi cl. 15. LXVII. in castris  
*Serenis. Elect. Saxoniae Augusti*, publico  
 Imperij stipendio medicinam tractavit: quâ  
 D. occasio.

occasione etiam factum est, ut in notitiam  
 pariter & amicitiam excellentis illius Medi-  
 ci *Iohannis Nevij* veniret. Denique in Galli-  
 am etiam profectus cum turmis & cohorti-  
 bus Germani militis: ubi in annum tertium,  
 stipendio *Henrici tertij* Francorum Regis, offi-  
 cium suum fecit. Ætate autem magis magis-  
 que ingravescente, & ipse laborum itinerūq;  
 pertæsus, quieti se tradere optimum judica-  
 vit: & hoc sine sese *Wittebergam* rece-  
 pit. Et quanquam in civem privatum se com-  
 ponere & latere in votis habebat, experientia  
 tamen & curandi quædam felicitas hominē  
 subinde in lucem & usum publicum, quā do-  
 mi, quā foris, protraxit. ANNO CHRISTI  
 clo. 15. XCIII. in Ordinem etiam Senato-  
 rium amplissimæ hujus Reipub. allectus &  
 cooptatus est. Pro Scito & Symbolo habuit  
 illud Apostoli ad Rom. 8. *Si Deus pro nobis, quis  
 contra nos?* In quo brevi lemmate picturam  
 quandam totius vitæ *Plateani* olim nostri ha-  
 bere poterit, qui oculis Christianis & affectu  
 Boni viri id intuetur & æstimat. Nudiuster-  
 tius rebus humanis exemptus exsuvias Cor-  
 poris sui tegendas nobis reliquit: idque Cu-  
 ratores facere destinarunt ad horam *Primam*.  
 Debetis & vos velle, cives Academici, quæ  
 illi volunt: & funus comitari, & ad sepul-  
 chrum frequentes comparere. Valerius qui-  
 dam

dam (Inscriptio vetus Hispaniensis prodit) ossa sua prope Templum Æsculapij colloca-  
 ri Testamento iussit, ut ibi melius fortè quie-  
 tura. Noster Plateanus, Æsculapij & Hy-  
 géæ olim suboles, suum corpus sub ipsum  
 templi quasi tholum sepeliri voluit. Hujus  
 tamen gratia nec mollius nec melius quietu-  
 rum: nisi Medici illius supremi & gentis hu-  
 manæ Servatoris JESU CHRISTI spiritu  
 & sanguine curatum esset. Alia, quæ dicere  
 debuisse videri curiosis poteramus, sunt in  
 memoriâ & sermone publico, fortasse à  
 Theologo pro concione deinceps exaggeran-  
 da. NOS, SI FUNUS INDICIMUS; IRRE-  
 BXEQVIAS jubemus; fecimus officium  
 nostrum: & vos, cives Academici, etiam ve-  
 strum, si parueritis. P. P. Dominica à  
 Trinitatis Quintâ, Anno Chri-  
 stiano clo. lxx. lxx.



D :

RE

tiam  
 Medi-  
 Galli-  
 horti-  
 rtium,  
 s, offi-  
 magis-  
 nerūq;  
 udica-  
 rece-  
 e com-  
 rientia  
 ominē  
 quā do-  
 RISTI  
 enato-  
 etus &  
 habuit  
 bis, quis  
 uram  
 tri ha-  
 affectu  
 iuster-  
 s Cor-  
 ue Cu-  
 riman-  
 i, quæ  
 sepul-  
 us qui-  
 dam



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, PROFESSOR  
bonarum litterarum publicus.

QUIBUSDA M remedia *monstranda*, quibusdam *inculcanda* esse, olim dixit Seneca, nos hodie experimur. Atque utinam plures in nostris eo viverent ingenio, ut monstrari sibi potius quam inculcari vellent remedia, hoc est, præcepta morum & disciplinæ! ita labor nobis multò levior esset, & fructus magisterij nostri etiam præsentior. Sed quia in tantâ morum pravitate monstrasse quæ sunt optima, non sufficit; etiam inculcamus, quâ commodum quâ incommodum. Nunquam enim nimis dicitur, quod nunquã satis discitur. Inter illa autem & hoc fuit; & fuit inter prima: **VITARETIS PRAVVM SODALITIVM.** Non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis ac seminis, quam ex ijs rebus, quæ ab ipsa naturâ loci & à vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur & vivimus. Adolescenti novitio & qui nuper in Academias venit, profectò longè curiosus

riosius circumspiciendum est, CUM quibus  
 edat aut bibat, quàm QUID edat aut bibat.  
 Nemo enim ferè est, qui non aliquod vitium  
 talibus aut commendet, aut imprimat, aut  
 allinat: illud exemplo; istud sermone; hoc  
 conversatione. *Sumuntur* (inquit Philosophus)  
*à conversantibus mores: & ut quedam corporis vitia*  
*in contactos transfiliunt; ita animus mala sua proxi-*  
*mis tradit. Ebriosus convictores in amorem vini*  
*traxit: impudicorum cætus fortem quoque & silice-*  
*um virum emollit.* Ita & cætera vitia in proxi-  
 mos virus suum transfundunt. Professoriam  
 linguam hic in annum jam tertium & deci-  
 mum (*ἀλασκάτως* hoc dixerim) exerceo, &  
 juventutem, quàm fas est, duco & doceo: sed  
 hoc mihi, dum alios doceo, in primis didicisse  
 videor; ut si quis me rogitet, quid observatu  
 sit primùm, si in Academiis SUMMI mitti vellet:  
 huic ego respondeam; Contubernalis. Quid  
 secundum? Contubernalis. Quid tertiùm? Con-  
 tubernalis. Tanti est, sub primum accessum  
 incidere in commodum sodalitiùm. Nam ut  
 illud, quod antè dixi de conversatione malo-  
 rum, verum est; ita hoc etiam experienciã do-  
 cti sumus: Nullam rem magis animos indue-  
 re honestos, & in pravum inclinabiles revo-  
 care ad rectum, quàm bonorum conversa-  
 tionem. Utinam omnes è nostris hoc poti-  
 us quàm illud sequi maluissent! fortè flos il-

le juventutis M. G. Von M. Eques Austrius, hodiè funus non esset. Tragœdiæ argumentum! & quod parentes, nisi mortem bono fato prævertissent, nuntio suo evertere potuisset. Nondum tres menses sunt, cum is civem Reipub. nostræ se professus est: & indolem in eo non malam fuisse, testantur qui adolescentem propiùs noverunt: ego ab ingenua illa & honesta facie de liberali ingenio conjecturam capiebam: sed & illo argumento; quòd sedulo quærebat, cujus privata institutione in Lingua Latina præsertim, tum etiam Logicis & Ethicis proficeret. Vos illum nobis corrupistis, filij an fratres Belial. Vos adolescentem illum ignem & præclara spirantem obsceno vestro luto immerfistis, frigefactastis, exstinxistis; exurendi à spiritu & igne illo Jehovæ, nisi maturè ad fontem vitæ Jesum Christum (quod vos per illum ipsum oro & obtestor) properetis. Quid in vita egeritis, tum apparebit, cum animam agetis. Nullum ego quidem supplicium vobis aliud nunc destinaram, quàm ut cadaveri in triduum assidere, & crudele istud spectaculum oculis intueri cogere mini: quod illi olim supplicium parricidio expiando censebat. Quicquid autem de pravo sodalitia, in exemplum juventutis, hic disputamus, nemo à nobis eò distum censeat, ac si eos notaremus, qui ordinarij

narij ipsius convictores fuere; quos quidem  
 adhuc Optimi hospitis optimos sanè novi-  
 mus; sed istos, qui se invito olim quasi aliun-  
 de obtruserunt, & suo exemplo laxiorem vi-  
 vendi licentiam persuaserunt. Sed hos sibi,  
 aut potiùs iudicio DEI relinquo; & quam  
 cæpi tragœdiam, perago. Pridie quàm perijt,  
 citatus ab Academiæ ministro, sine morâ do-  
 mi meæ comparuit. verbis ob noxiam ali-  
 quam castigatus erubuit. agnovi statim colo-  
 rem Virtutis: & jam Rectoris personâ quasi  
 positâ cæpi familiaris me illi dare: laudavi  
 generis honestatem &

—fortia facta Parentum:—

det operam, ne quam majores facilem & pla-  
 nam ad quærendum honorem viam fecis-  
 sent, ipse culpa & desidia sua faceret, ut esset  
 difficilis: néve honori posterorum *ἰσχυρὸν*  
 fortè & vibex fieret: cogitet, Patrem sibi  
 cum illo Comico hisce aures assiduè verbe-  
 rare;

*Per pietatem! nolo ego cum improbis  
te viris,*

*Gnate mi, neq; in via neq; in foro ullum  
sermonem exsequi.*

*Novi ego hoc seculum moribus quibus  
sit malus bonum malum,*

*Esse vult, ut sit sui similis. —*



Hæc, & si qua alia calor & affectus in adolescentem meus suggerebant, expromebam: quæ ille mihi attentâ aure visus est auscultare, & sub discessum, manu etiâ stipulata rem, quasi certam promittere. Cùm ista sub vesperam ad hoc exemplum gesta essent, altero die visus est preces solito diutiùs producere, & gestu quodâ etiam excitare & animare. Præsus frigidam omni ope affectat: nam æstus Solis diem incenderat, & ille corpulentior atque habitior paulò erat. Sodales exorat comites; non illos quidem corruptores suos, sed fortè obvios, ad Albim properant, lavant: anatem ille fortè oculis vestigans ab littore haud longulè, atque inter ulvam, affectatur: jam revertenti fluvius subduxit pedes, abstraxitque hominem in maximam malam crucem. Ita spiramento intercluso perijt adolescens in ipso ætatis flore, cùm esset annorum quasi viginti; & perijt Musis alumnus, Marti comes (nam & sub fortissimo heroe Golonitichio equites aliquot jam miles in Hungariam duxisse memoratur:) perijt ornamentum patriæ & columen familiæ. Fridericus Barbarossa scribitur, cùm se in amnem refrigerandi causa altiùs immerfisset, & spiramento aquis prope jam præcluso subitò extractus esset, paullùm respirasse & dixisse: *Benedictus Deus, qui me per aquam regeneravit: si per aquam me de*

*me de Mundo vocat, queri non possum: ac paulò post, quum oculis jam natantibus cælum suspexisset, spiritum fudisse. O tua etiam nudius tertius si non vox, at saltem affectus fuerit, mi adolescens! At vos cæteri in hoc exemplum intuiti cautiores estote; & seriò cogitate, utrum sit commodius, Mortem ad nos transire potiùs, an nos ad illam? Cumque incertissimum sit, quo illa quemque loco expectet, vos eam omni loco expectate. Hoc ita facite: atque ad horam postea SECUNDAM commiliti olim vestro exsequias ire, audituri fortè pro concione etiam, quæ nos hic dicere non potuimus, non volumus. P. P. Pridie Calendas Julias Julian. Anno Christiano c l o . l o c , I I X .*



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-

NUS FRANCUS, BONARUM

Litterarum Professor publicus,

LECTORI CVM DEBITA HO-

NORIS PRÆFATIONE

S. D.

*EX animi sententiã dico: Ad testimonij  
dictionem vel scriptionem vix unquam*

D S

alacrius

alacrius profilio, quam si me Danus aliquis  
 camposcit operam. ita vix fuit, ut aut illi  
 me, aut eorum culpâ alios ego deceperim: :  
 quod in hoc tamen argumento fieri, norunt  
 qui hasce merces tractare soliti sunt. Deci-  
 pimur & decipimus: non quidem animi de-  
 stinatione, quod boni viri non esset: sed quia  
 tanta sunt pectorum humanorum latebrae  
 & alucinaciones. Nunc iterum Danus a-  
 liquis commendandus est: immo, quia seipse  
 commendat, tam egregia virtus litteris no-  
 stris tantummodo committenda est, ut me-  
 renti pretium aliquod à nobis, in exemplum  
 aliorum, statuatur. Is autem est **AHAS-**  
**SUERUS CHRISTIANI** Melissæus.  
 Anni jam quinq; sunt, cum nomen suum  
 in hac Repub. litterariâ professus pro cive se-  
 gessit. & pro tali quidem, ut paucos habue-  
 rit (dicamus quod res est sine furo aut am-  
 bitione) qui palmam Virtutis, pariter & Do-  
 ctrinae ambiguan ipsi fecerint; pauciores, s; tamen  
 ulli, qui præripuerint. In scholis Phi-  
 losophorum assiduus fuit, & curiosus: præ-  
 sertim eorum,

Qui docto æthereos signant in pulvere cursus,  
 Quos pia sollicito deprændit pollice Memphis?  
 Quæ moveant momenta polum, quis **CERTVS**  
 in astris. **ER**

ERROR, quis tenebras Solis, caussisq; recantem  
 Defectum videat numerus; qua linea Phœben  
 Damnet, & excluso pallentem fratre relinquat:

quemadmodum disciplinam Mathematicor. in divinis versibus Poëta exornatum  
 ivit. Vel, ut planius dicamus; Noster ANA-  
 SMERUS eam viam doctrinae & fame  
 grassatus est, in quâ magnum illum Atlan-  
 tem Tychonem de Brahe, & nostrum  
 amicum olim, nunc uxoratum, aliquam mul-  
 ti, neque nunc à nobis collaudandi, è gente,  
 Danicâ, hætenus felicissimè sequuti  
 sunt. Primariâ tamen animi & voti desti-  
 natione Theologiam coluit: uti hoc studio-  
 rum genere sibi aliquando, & suis potissi-  
 mum & quasi ex professo commodaret. Idq;  
 ut fiat, DEUM Opt. Max. serîo etiam nunc  
 veneramus. Neque etiam est cur de succes-  
 su dubitemus; cum adulescentis Probitas,  
 Pietas, & quæ ipsi quasi peculiaris semper  
 fuit, Modestia, non nisi optima quæque apud  
 DEUM & homines sperare nos iubeant.  
 Fiat, fiat. Actum, & sigillo Academia insi-  
 gnitum, die IIX. Julij-Julij, anno,  
 Christ. c. 12. Inc. IIX.

RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,  
FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM  
litterarum Professor publicus,

LECTORICVM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE

S. D.

**T**ESTIMONIA vite & studiorum pe-  
tidariq; in Academijs etiam & scholis  
publicis, jam tralatitium & pervulgatum,  
esse nemo ferè ignorat. Mos neque improbus  
neque culpandus, si cum modo habeatur: hoc  
est, si Virtuti & Vero neutra pars callidè aut  
improvidè prævaricetur: quod fieri inter-  
dum, malo sanè exemplo, vidimus. Nos,  
quod in nobis est, cavimus, idem deinceps  
etiam facturi. Nunc autem, quod ante se  
alios fecisse commemorat, Testimonium Vi-  
tæ pariter & Studiorum à nobis petijt, SA-  
MUEL ZETZSCH Vratislaviâ Silesius.  
Idque cum mereri & Nobis & alijs visus es-  
set, quod ratio muneris nostri postulabat,  
presenti

petenti libenter impertivimus. Testamur  
 itaque, hunc SAMUELEM in hac Repub.  
 litterariâ versatum esse jam sesquiannum;  
 eo Vitæ & Studiorum exemplo, ut probare  
 se omnibus bonis & doctis facile potuerit. In  
 scholis Philosophorum diligenter versatus  
 est, & exercitijs sanè varijs ingenium occu-  
 pavit: quod attestantur ipsius etiam docto-  
 res, quibus se præcipuè dedit. Nec tamen  
 & Theologorum scholas intereâ neglexit:  
 immo in his etiam sic versatus, ut dubitare  
 possis, utris addictior fuerit; & quibus plus  
 adhuc quidem debeat, Philosophis an Theo-  
 logis: ita secum ipse certavit. Quin & in  
 illâ humaniorum litterarum disciplinâ sic  
 profecit, ut neminem facile metuat, qui pa-  
 ri ætate sit. Hæc autem studia honestate  
 vitæ & morum elegantia sic attemperavit,  
 & quasi condidit, ut omnes, quibus inno-  
 tuit, non nisi egregium aliquid de ipso spera-  
 re potuerint. Speramus profectò & nos ab  
 egregiâ hæc indole nihil nisi tale. Nec cui-  
 quam hinc fucum prudentes facimus. Res  
 mera est, quod loquimur: & qui tentave-  
 rit hanc adolescentem, scimus plus etiam  
 quam diximus reperturum: adeò supra rem  
 nihil

nihil hic extollimus. Vos, qui ejusmodi stirpes bono Reipub. Christiana fovere & alere per Fortune benignitatem potestis, addite hic operam, fidemq; & opes vestras periclitamini. Faxo nunquam quemquam aut opere aut impense sue pœniteat. Ita planè speramus, aut potius confidimus, qui litteris ista commisimus, & sigillo Academia insignivimus. X. Julij-Julij, anno Christiano clo. lxx. lxx.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM LIT-  
terarum Professor publicus.

VETUS illud Comici pro re nostrum &  
pænè tragicum faciemus:

NON hercle verbis, mea pubes, dici potest  
Tantum, quàm reipsa IN ALBI LAVARE  
incommodum est!

Cuique haud incommodè ex eodem theatro  
alius quasi παρωδός acclamarit:

O fortunate, nescis quid mali

Præterieris, qui nunquam hic Albim in-  
gressus es!

Fortu

Fortunatus, (ita me Deus!) fortunatus fuisti, quisquis è juventute nostra in Albi nunquam lavisti, natasti, luxuriasti: hoc est, qui nunquam ibi locorum fuisti, ubi (ut Poëta loquitur)

*Tam propè quis letum, quàm propè cer-  
nit aquam.*

Pari sæpè affectu cum C H O R O Tragico ista legere memini:

*AUDAX nimium qui freta primus  
Rate tam fragili perfida rupit;  
Terrasq; suas post terga videns,  
ANIMAM levibus credidit auris,  
Dubioq; secans æquora cursu  
Potuit tenui fidere ligno,  
Inter VITÆ MORTISQUE vias  
Nimium gracili limite ducto.*

Audax profectò. Sed tu, qui homo es adole-  
scens, nuper ab amplexu matris avulsus, hic  
in umbra scholæ educatus, periculi securusne  
dicam an ignarus? planè nullo ligno aut rate  
subducta audes Corpus tuum, illam Animæ  
Christianæ thecam, rapidissimo flumini cõ-  
mittere; ALBI, inquam, tot spolijs nostræ  
juventutis jampridem infami, & quem pla-  
giarium quendam Wittbergensem vocave-  
ris. Hinc illæ voces in circulis nostratium ja-  
ctatæ: ALBIM quotannis homine ad mini-  
mum



num uno, quasi victima quadam placari. Nos ergo hoc monstrum *αενοφάγον* caveamus; & quod vitare facile possumus, ne ita simus temerarij & prodigi salutis, ut illud ultrò etiam, & nostro quasi jumento, arcessamus. Auctoritate vetus est, sed usu novum: *Qui amat periculum, peribit in eo.* Ergo ille periculum amare non dicatur, qui famam tot exemplis infamem negligit? tot spirantia Præceptorum monita tanti facit,

— *quanti rupes Marpesia Cauros?*

Neque enim verum est, quod nasutus quidam è nuperà & funestà illa lavatione proterviùs objiciebat, lavationes in Albi nunquam prohibitas esse. Mi homo, si tu eorum, quæ publicè hic geruntur, adeò negligens aut fastidiosus es, scito eos, quos reverentia disciplinae propiùs tangit, non nescire, tum quotannis fere, tum superiori aliquà Æstate, non solum ex hoc loco & Scripto Rectoris; sed & voce ipsa Theologi è Suggestu atque in solempni concione, lavationes in Albi severissimè prohibitas esse: adeò quidem, ut *πρὸς οὐρανὸν* istos & projectæ audaciæ balneatores justà etiam sepultura privare, cæteris in terrorem, destinarent. Quanquam autem spectaculi diritas, quæ proximis diebus hanc Academiam funestavit, sufficere poterat, quæ feroculos istos compesceret: ne ta-

men

men & sic officio nostro defuisse videremur,  
placuit Senatui Academico nunc etiam

— *dum siccis aër fervoribus ustus Canduit* —

sententiam nostram publicare: N E Q U I S  
F L U V I O S E C O M M I T T A T , A U E N A T A -  
T I O N E S T E M E R E E X P E R I A T U R .  
Namque in confesso est, Albim nostrum tot  
voraginosi undarum gurgitibus, tot insidio-  
sis arenarum pulvillis, totque infidis exesi so-  
li quibusdam quasi scamnis, sæpe etiam ad  
ipsam ripam, ubi maximam securitatem spe-  
res, infestum esse, ut vix Delius aliquis nata-  
tor inde se expedire valeat. Accedit huc et-  
iam, ut non rarò, ubi in homine pori & cuti-  
culares isti meatûs calore Solis aut motu ni-  
mio laxantur, subitum istud & circumfusum  
ab aqua frigus sese insinuet, & corpus spasmo  
aut rigore distentum, in locis etiam alioquin  
haud intutis, evertat. Præterea & dæmones  
aquis immisceri nullum fit dubium: neq; ne-  
gant, quibus propè Albim negotium fuit, spe-  
ctra & lemures nocturnos inibi manifestò  
visos. Quin & illi, qui bono cum Deo ex a-  
quis aliquando erepti sunt, seriò affirmarunt,  
plus negotij à malis Spiritibus, quam ab a-  
quarum vorticibus in ista lucta sibi facessi-  
tum. Et hoc si quis pervicacior negaverit,  
at illud non poterit, quod, Rectore Illustriss.  
& Generosiss. Principe, B A R N I M O P o m e -  
r a n a e

rania Duce, antecessores nostri ex hoc ipso loco juventuti intimare & παρέχεσθαι voluerunt: nonnullis sub aqua cervices fractas; nonnullis intorto collo os præposterum fuisse; aliquos etiam alibi confossos. Hæc ejusmodi sunt, ut audienti horrorem incutiant; quid censetis spectanti? Nos oculis animi potius quàm corporis tam funesta intueamur, sic rectissimè caveamus.

*Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.*

Si quis tamen ita effrenatus es, tibi que præfidentis, ut nullà Legum auctoritate, nullis neque minis neque monitis coërceri velis; nos hodierno die, in conspectu hujus Templi & Solis meridiani, tuam & legentis & audientis Conscientiam officio & affectui in te nostro testem citamus: nos fecisse, quod debuimus, quod potuimus: ad languorem usque præscripsisse; ad ravim usque declamitasse; **P E R I C U L U M A B A L B I V I T A N D U M**: horribile esse, Magistratûs sententiam in ordinem redigere: diabolis prædam & ludibrium objicere hominem, cujus causa Deus homo factus est: *αὐτόχρησα* fieri; hoc est, se ipsum vitâ spoliare, pro cujus vitâ **D E U S** mortuus est: parricidam fieri, hoc est, ferali nuntio parentibus, pro quibus aliquando vel mori fas sit, animam elidere. Horribilia sunt hæc, inquam

Inquam: at hæc, inquam, horribilia in te ex-  
petunt, quisquis spes tuas tuorumq; in pro-  
fluentem sic temere projeceris. P. P. XXVII.  
Julij, Anno Christiano cl. lxx. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM LIT-  
terarum Professor publicus.

TEMPLI Academici Aeditimum non ita  
pridem extulimus; hodie etiam CANTO-  
REM efferemus, Sed cujus tamen funere Ca-  
lendas Augustas minimè omnium funestatas  
censeamus; uti nec sollemnitas Trinitatis  
nupera Aeditimi. Nec mihi quis Canorem  
templi nostri æstimet è pallio, pallore & pa-  
bulo. Ego me supra fastidium & typhum tu-  
um audacter excitabo, & Cantorem *animam*  
*templi* vocabo: Animam, inquam, templi vo-  
cabo Cantorè Quid tu mihi præ meo Can-  
tore Organum illud *πνεύματιον* & ad parietè  
pensile inhias & suspectas? Ut vox inde eli-  
ciatur, ministerio siphonum opus est; opus  
sunt venti insititij; opus est nescio quæ arca,  
qui pinax, quæ regulæ laterales, quæ obtura-  
cula,

cula, quæ manubria epistomiorum, quæ crispato digitorum! Et ubi omnia fecisti; vox est, præterea nihil:

—*ne se ipse intelligit Hermes.*

Hic meus Cantor ille est, quem spiritus Domini in vocem animat; quem illi majorum gentium symphoniam-magistri, David & Asaph, discipulum agnoscant: qui suum illud *Laudate Dominum* ita scitâ modulataq; consonantia articulatur, ut ipse se, & nos ipsum intelligamus. Talem ergò heri, sub inclinationem mediæ noctis,

—*Vita: PAUSA sequuta est.*

ut Poëta philosophatur: vel ut ego altiori voce & sensu dicam; in Collegium Cælestis Musicæ cooptatus est: quod Esaias Propheeta vidisse ait; ubi Seraphim adstantes DOMINO alter ad alterum voce altissimâ canat, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS est IEHOVA exercituum: & totam hanc terram impleat Gloria eius. Atque huic quidem Musico, quâ mortalis fuit, funus hodie facturi sunt: quod juventuti litteratæ verbis & more Romano obiter indicemus: EXSEQUIAS PAULO HARNISCHIO AARONIS THEOLOGI FILIO, QUIBUS EST COMMODUM, IRETEMPUS EST. ILLE EX ÆDIBUS SUIS EFFERETUR AD HORAM TERTIAM. Romanorum funera

nera duum erant generum: *Indictiva & Tacita*.  
 Et hujus quidem generis Funus erat *Quie-*  
*tum & Silens*, absque strepitu: unde & *Funus*  
*Vulgare, Plebejum, Commune Tralutium*, forte  
 & *Simpludiarum* audiebat. Illud verò *Indicti-*  
*vum*: ad quod per Præconem populus evoca-  
 batur; verbis, quæ jam posui, sollempnibus: &  
 erat omnium amplissimum & sumptuosum,  
 quippe *Publicum*: aderant Præco, Dissignator,  
 Imagines, Ludi, Pompa, quid non? Et tale ali-  
 quod funus profectò meruisse videri poterat,  
 quisquis è disciplina & (ut sic dicam) posteri-  
 tate Asaphi morte defungitur. Æstimemus  
 hoc genus hominum non è superficie & vili  
 ista specie, sed interno & vero suo pretio. spi-  
 ritu inquam, non oculis. Et eò pluris eos-  
 dem æstimabit, quò plus divini Spiritûs quis-  
 que participat. Sed hoc etiam alibi. Noster  
 PAULUS HARNISCHIVS Academiam  
 coluit fortè quadriennium: Chorum Musi-  
 cum quasi biennium: utrumque ea fide &  
 fama, ut paucis ante mortem diebus Sereniss.  
 Electoris mandato, scholæ VViesenthalæ  
 sub diœcesi Annæbergensium, magisterium  
 ipsi decretum fuerit. Sed hæc ire debuit, quæ  
*Cælum & Sepulchrum* patuit. Nos hodie ad  
 hoc quidem præeuntem sequemur, omnes  
 fortè reversuri: hoc & illud Corpore & A-  
 nimâ sectaturi,

Quosua quemq; iubent ordine FAT A sequit.  
 P. P. Calendis Augustis, Anno Christiano  
 clo. lxx. II X.



RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, BONARUM  
 litterarum Professor publicus,

LECTORICVM DEBITA HO-  
 NORIS PRÆFATIONE  
 S. D.

**O**FFICII nostri est VIRTUTEM a-  
 mare, & eandem, sicubi ignota est, aut  
 Testimonio aut subsidio eget, adiutum ire,  
 & pro copiâ etiam promotum. Quod alte-  
 rum in isto HENRICO JULIO STRU-  
 BIO Saxone, promptissimo animo nunc fa-  
 cimus: quia prolixè meretur; meriturus, ut  
 semina hæc videmus, & animus noster spe-  
 rat, olim cum ætate prolixius. modo DEUS  
 hanc mentem ipsi seruet, & cætera illa ex-  
 terna conantem etiam non deficiant.

Versatus is est in hac scholâ circiter qua-  
 driens.

driennium. Multa interim in omni do-  
 ctrinâ liberali voluit: & quæ voluit, etiam  
 valuit. quippe cui melior ille Deus felix In-  
 genium, & Iudicij maturitatem, etiam præ-  
 ter ætatem, indulfit. Philosophie studia ca-  
 lidè habuit: & auscultâdo, meditando, pri-  
 vatim publicèque disputando sic ea sibi pro-  
 pria fecit, ut X. Calend. Octob. anni proximi,  
 ARTIUM LIBERALIUM ET PHI-  
 LOSOPHIÆ MAGISTER, post experi-  
 menta sollemnia publicè renunciatus sit: me  
 quidem interprete, sed de sententiâ totius  
 Philosophorum Collegij; cui certè non Affe-  
 ctus, sed Fides præfuit, & Iudicium ita for-  
 mavit: cum is re & factò prius Magister es-  
 set, quàm titulo isto & nuncupatione. Dein-  
 de Linguas Græcam Latinamque, & ista  
 Humanitatis, quæ vocât studia (quod nunc  
 tales haud fermè solent) ita etiâ addidicit,  
 ut inter eos, qui in politiori litteraturâ diu  
 multumque versati sunt, nomen profiteri  
 jure optimo possit. Præterea & Poëticam at-  
 tigit: imò in penitiora ejusdem sacraria  
 se jam pridem insinuavit: & si quid hic ju-  
 dico, Carmen ipsius, (unum atq; alterum ta-  
 le vidimus) priscis etiam moribus, coronam



è Lauru non simplicem illam, sed vellemni-  
 scaram mereri poterat. Verè ita censeo,  
 non affectu. Sed quid animi mei senten-  
 tiam verbis suspendo? Jam nunc a Sacra-  
 tissimi Imperatoris Caesaris Interprete in-  
 mandatis habeo, ut *Οὐτὼν* illud *μὰνλακὸν*  
 LAURUM Capiti promerentis imponam.  
 & POETAM LAUREATUM sollempni-  
 ter pronunciem. Perro animum Theologie  
 studio propriè jam addixit. Unde & multus  
 est & calidus in meditatione & disquisitio-  
 ne rerum sacrarũ; etiam quã Disputationũ.  
 res est & privatarum & publicarũ. Quin  
 & iudicio & sententiã Theologorũ, locum  
 in templo Academia ordinarium meruit,  
 ubi animum & profectũs suos in excellen-  
 tem etiam Ecclesie Christiane Doctorem  
 magis magisq; formet firmetque. Nos  
 DEUM veneramus, ut hoc quoque fiat pa-  
 ri, aut majori etiam successu; & quod caput  
 est, bono gentis Christiane. ATQUE hæc  
 ista sunt, quæ HENRICO IULIO STRU-  
 B I O dicere nunc pro Testimonio debuimus.  
 Si qui fortè eris, qui supra rem nos adstru-  
 xisse aliquid suspiceris, periclitare hominem  
 & pernoce; dices, nos adeò nihil hic supra  
 rem

rem exaggerasse ut vix pro re oratio fuerit:  
quam litteris hisce commisimus, & Sigillo  
Academiae insignivimus, Calend. Augusti  
Iulij, Anno Christiano cdo. lxx. lxx.



RECTOR ET CONSILIUM  
PUBLICUM.

**N.**N. Gordios nescio quos nodos texere  
nobis instituit, quibus ingenuas & libe-  
ras Virtutis ac Disciplinæ manus implicare  
satagit. Nos cum bono Deo, non illo qui-  
dem Alexandri gladio, sed tantum calamo  
nodum hunc non Gordium sed Sinonium.  
mature & probe dissolvemus. Et quia nos  
non latet, te N.N. alicubi in vicinia latere, a-  
nimus nobis est te e latibulis tuis elicere. Ita-  
que publicâ hac Intimatione latentem **P E R-**  
**E M P T O R I E** citamus: ut ad proximum  
xxiv. Augusti, hora vii. ante meridiem in Ju-  
dicio nostro compareas, Rectori ac Consist-  
riani rationem reddas, cur a Ministro Aca-  
demix citatus auctoritatem publicam detre-  
ctaveris. Tantum est. Et nisi tu compare-  
ris, audies fortasse plura, & quorum te in  
omni vitâ pœnitere possit. quod nos tamen,

E s

qui

qui Patris affectum ubique prætendimus, fieri nolimus. P. P. die VII. Augusti, anno Christiano cl<sup>o</sup>, l<sup>o</sup>c. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMANN-

NUS FRANCUS, PROFESSOR Bonarum litterarum publicus,

LECTORI CVM DEBITA HONORIS PRÆFATIONE

S. D.

**P**AUCI hodiè, uti nunc hominum mores sunt, eo contenti vivunt, ut Conscientiã Virtutis suæ testem habeant, & juratũ quasi Secretarium: sed illam etiam ab alijs commendari ultrò satagunt, atque adeò litteris & tabulis consignari. Hinc tot facies & formulæ Testimoniorum in omni ferè hominum ordine: nullibi tamen plures fortasse, quàm in Militari & hoc Nostro. Atque utinam omnes pari affectu aut peterèt, aut pari iudicio darent, quorũ causa hìc agitur! Nam si uspiam circumspectione opus fuit, hìc opus videri poterat. Ne cum pudore nostro & publica

blico malo vulgatū illud audire aliquando  
 cogamur; Fallimur, & fallimus. Nos, quod  
 in nobis est, de industriā cavebimus, ne sine  
 teste testimonium cuiquam impertiamus,  
 vel hodie, cum dari sibi ab Academia testi-  
 monium vitæ & studiorum peteret N. N. &  
 rationes ipsius mihi nō satis exploratæ essent  
 visa est hæc via ad veritatē tutissima quā  
 sequeretur: ut utriusq; Ordinis, quorū ille stu-  
 dia sequi se affirmabat, Philosophiæ &  
 Theologici, Professores arcesserem, qui eā fi-  
 de, quam Academia & religioni Veritatis  
 debent, de vitā & studijs ipsius attestaren-  
 tur. Illi igitur seriō & fide quasi juratā in  
 hunc Academia nostra civem ea dixerunt,  
 quæ literis ego jam consignabo, Viruti ipsi-  
 us pretium quoddam & præconium. Quid  
 ergo? Hanc N. N. postquam ab Academia  
 Iuliā discessit, in hac nostrā biennium jam  
 versatum: Philosophiæ studia eo affectu &  
 iudicio tractasse, quo solent ij qui sine ambā-  
 gibus rectā & regiā viā ad templum illud  
 Sapientiæ & Veri grassantur. In illo  
 nem sacro & sublimi Theologiæ studio  
 fidem, industriam & dexteritatem Pro-  
 fessoribus plerisq; & Scholæ probatum ivis-  
 se, Do-


se; Doctores Theologiae auscultasse; domi  
 privatimq; sacra meditatam esse; meditata  
 exercitijs Disputationum ad iudicij & Veri  
 normam formasse pariter & firmasse. profe-  
 ctum etiam & industriam in templo Aca-  
 demico habendis ad populum concionibus  
 saepiuscule periclitatum esse; idque cum lau-  
 de auditorij. Mores vero & reliquam  
 vivendi rationem sic ad studia sua attem-  
 perasse, ut quivis facile intellexerit, ipsum  
 & Philosophiae & Theologiae Candidatum  
 esse; & doctrinam quam profiteatur, mo-  
 rum etiam cultu & probitate cuiusvis bono  
 & docto probare. Atque haec illa sunt,  
 qua fide Praeceptorum in litteras has referre,  
 & sigillo Academia insignire debui.

X. Augusti, Anno Christiano

cl. lsc. llx.



RE



R E C T O R A C A D E M I Æ  
W I T T B E R G E N S I S ,

F R I D E R I C U S T A U B M A N O  
N U S F R A N C U S , B O N A R U M  
L i t t e r a r u m P r o f e s s o r p u b l i c u s ,

L E C T O R I C V M D E B I T A H O -  
N O R I S P R Æ F A T I O N E  
S . D .

**M**ILITIÆ sagata, quam ita vocant,  
quoddam quasi sollemne hodie est; ut  
alumni istius jam sacramento soluti, Virtu-  
tis suæ testimonium litteris etiam consigna-  
tum circumferant: non contenti, quæ ab  
ipsis rectè facta sunt, tabulis (ut sic dicam)  
Cordis & Consientie inscripta habere. Ad  
eundem modum in hac togatâ & scholasti-  
câ militiâ plurimos reperire est, qui morum  
studiorumq; testes audiri malunt ceram &  
chartam, quam seipso & suam fidem. Hinc  
ex Academijs discessuri piaculum censent,  
nisi testimonium litteris commissum itine-  
ris quasi comitem habeant, atque ad alios  
interpretent. Nos quidem neutrum genus  
aut

R E

aut fastidimus aut vituperamus; si pollet  
 aliqua causa & ratio sub sit, cur ita fieri de-  
 beat. NOSTRE quidem militiae alumnus  
 olim, VVOLF GANG-DITERICH BON-  
 ROCHOW/è Marchia NOBILIS, si presen-  
 sisset, cum ab hinc aliquot annos à nobis di-  
 scederet, usui sibi aliquando futuram ejus-  
 modi testimonium; uterque hoc labore nunc  
 quidem temporis super sedere possemus; ille  
 rogandi, nos scribendi. Iam verò cum res  
 suas ita compositas intelligat, ut eo carere  
 nec velit nec possit; fecit majore operâ, quod  
 antehac minori sanè poterat; et testi-  
 monium vite studiorumq; à nobis serò etiam petij.  
 Quid negare ipsi minimè omnium debui-  
 mus: cum exploratum habeamus, id digno  
 dari. Testamur itaque hunc VVOLF GANG-  
 DITERICH BON-ROCHOW/ Equitem  
 Marchicum Reipublice hujus litterariae  
 Civem factum, anno Christi XCIII. supra  
 cl. 10. die VII. Novembris: Rectore AN-  
 DREA SCHATONE: & in eadem socie-  
 tate scholastica triennium, & plus eo, conti-  
 nuè versatum esse: eamque rationem stu-  
 diorum pariter & Morum in conversatione  
 istâ tenuisse, ut facile appareret, ipsum è bo-  
 nis

*nis benè natum & liberaliter, ut Nobilem  
debet, domi forisq; educatum esse; atq; ani-  
mo & honesto conatu Civem Reipub. Chri-  
stiana utilem spirare ac conformare. Atque  
hoc illud est, quod nunc quidem de hoc NO-  
BILI testari habuimus: quæ & sigillo Aca-  
demie signavimus, XIII. Augusti, anno  
Christiano cl. lxx. lxx.*



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, PROFESSOR  
bonarum litterarum publicus.

CLARISSIMI viri HENRICI VELSTE-  
NII, Professoris Ethici & Collegæ no-  
stri, socrum efferre hodie destinarunt. Jam  
credo, postquam hoc effati sumus, vos scire,  
quid & nos velimus, & quid vos deceat face-  
re. Nimirum hic Pietas & Gratitude certa-  
tim officium suum à nobis postulant. Demus  
ergò operam, ut ad hoc pulchrum certamen  
& magisterium tot honestis conditionibus  
provocati, compareamus; & quidem ad ho-  
ram postea PRIMAM, in illâ, quæ ad Austrum  
est



est Collegij, plateâ quasi media. Sed tamen  
 & plusculum aliquid hic etiam dicendum  
 nobis est: non quia ita mos & consuetudo  
 obtinuit; sed quia illa sic meruit; vel etiam,  
 qui illius. Patrum memoria civis Reipub.  
 hujus fuit JOHANNES SIDERUS, natio-  
 ne Francus, & ut olim mortuum effusissimè  
 laudemus, vir bonus. Hic parens fuit matro-  
 næ, cui orationem nunc commodamus. Fra-  
 tres ea tres habuit, aut habebat potius: nam-  
 que eorum primus & natu maximus, M. JO-  
 HANNES SIDERUS, hodieque (ut spes  
 & fama est) degit superstes Numburgi, ubi  
 Pastoris & Superintendentis munus, eximia  
 pietatis & doctrinæ præmium, ad extremum  
 usque senium gessit; antea etiam ætate me-  
 liori Cizensis Ecclesiæ. Alterum habuit  
 SIMONEM, Philosophiæ Magistrum, &  
 Collegij illius adjunctum pariter & Ecclesiæ  
 nostræ Diaconum: virum, judicio tunc-ho-  
 minum, ad summa quæq; in Repub. Christia-  
 nâ factum; sed inter præclaras istas minas  
 morte abreptum. Tertium CASPARKUM;  
 adolescentem planè ad ingenium fratris; sed  
 adolescentem: nam altiorem ætatis gradum  
 interventu mortis non adscendit, insigni vir-  
 tutis dispendio. Maritos habuit duos: *AN-*  
*dreæ Müllerum*, civem honestum: atque ex  
 hoc filium Patri cognominem; & unicam fi-  
 liam

liam matri, cui ELISABETÆ nomen: &  
 quorum ille jampridem in tumulum Morti;  
 hæc in thalamum nuper VELSTENIO no-  
 stro concessit. Alterum maritum habuit  
 CHRISTIANUM BARTOLUM Ordinis  
 apud nostros senatorij: atque ex isto etiam  
 filiam MARTHAM. Et cum illo quidem  
 nuptias celebravit ANNO Christiano  
 M. D. LXXIX. die XXVII. Aprilis: cum  
 hoc verò, anno M. D. LXXXIIX. die XXIV.  
 Junij. Varias fortunæ vices subinde est ex-  
 perta, quæ vitam ipsi peracerbam & invisam  
 reddiderunt. Pietate tamen animum ad pa-  
 tientiam ita obfirmavit, ut auctorem Deum  
 agnoverit, & Christianam se cominemine-  
 rit. Superioribus mensibus aqua intercute  
 cœpit infestari. Ad quod malum cum se a-  
 liud postea ex transverso, quasi illud parum  
 esset ad mortem, agglutinaret; vires subito  
 sunt collapsæ, & suprema fati dies simul illa-  
 psa est. Quam illa altò & hilari animo ex-  
 cepit, & in ipsa luctâ ostendit, quantum in  
 hac Pietatis officina, & quasi pharo quâdam  
 Christianitatis tot annos profecerit. Exspi-  
 ravit autem nudiustertius intra horam septi-  
 mam & octavam, quando jam dies & nox di-  
 vortium (ut sic dicam) in hac præcipiti æstate  
 meditantur. Voluit sepeliri inter cineres  
 Parentis & Mariti extra portam, quod hodiè

futurum est: sed concione tamen à Pastore  
priùs cohonestabitur. Ite Matronæ tali ex-  
sequias, ite: Mariti superstitis, Generi caussa;  
sed & nostrâ qui jubemus, immò & vestrâ,  
quibus pretium operæ fuerit funebris Ora-  
tio. P. P. Die XIV. Augusti, Anno Chri-  
stiano c l o. l o c. I I X.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, PROFESSOR  
bonarum litterarum publicus.

**Q**UID dicam? Cives Academici. Sacri-  
legum facinus factum est. Templum  
Minervæ & Eusebii hac nocte violatum  
est. Cædes capitalis in eo facta: nec nisi  
capite violatoris expianda. Ite in confi-  
lium, mei vos: ite, & quid faciendum, altrin-  
secus consuadete. Sanguis humanus effu-  
sus est. Sanguis ille ad cælum clamat, &  
vindicari omni ope flagitat. Et vindicabi-  
tur, nisi nostri simus, hoc est, quod profite-  
mur, Boni cives, & fratres, & Christiani.  
Hunc sanguinẽ sanguine nostro, aut nostro-  
rum

rum, Deus è terra eluet: nisi nos, quod nostri est officij, seriò faciamus. Faciamus, vos ó mei, faciamus: & quia exploratum nobis est, hominem istum capitalem urbe adhuc claudi; & alicubi in latebras abditum delitescere; atque, ut suspicio est, in noto & usitato sibi aliquo lústro; vos, si qui estis quovis modo conscij, per sanguinem hodie in nobis profusum, immò per sanguinem illum J E S U C H R I S T I pro nobis effusum obtestamur, sanguinarium istum sacrilegum indicetis. Nec jam vulgatum illud vobis inculco, Αμφοτέρωθεν κλωπες, καὶ ὁ δεξιόμενος καὶ ὁ κλέψας. Terreat te, quisquis es conscius, Oraculum Prophetæ illud fulmine divino armatū:

*Quum peccaverit anima, & audierit vocem blasphemiae, cujus ipse testis sit, sive VIDERIT, sive COGNOVERIT; si NON INDICET, utique FERET iniquitatem ejus.*

Feremus profectò, nisi SACRUM

istum hominem efferemus. P. P. cum

ipsa luce, XXII. Augusti, Anno

Christiano cdo. Inc. IIX.



F 2

R E C T O R



RECTOR ET CONSILIUM  
PUBLICUM.

**I**NVESTIGAVIMUS feram, & expressis  
Indicijs collegimus, in Collegium sese illa-  
tebrasse, certumque in eo Musæum. Vos, qui  
in illâ ad vallum parte colitis, & quorum ad  
lævam domicilij character est \* \* sine morâ  
in Consistorio comparete. Domi a Ministris  
publicis quæsi non uoluitis inveniri. Nunc ru-  
mor ait, vos de industriâ in publico oberrare,  
sermonum fortè aucupes & arbitri. **ADE-**  
**STE**, per fidem sacramenti, quod Nobis di-  
xistis: nec committite, ut vestrâ culpâ **SAC-**  
**CRUM** istud caput salutem, hæc Civitas igno-  
miniam & ultionem divinam sibi inveniat.  
Omnia omni fide & copiâ fecimus facimus-  
que, qui in hoc officio fuimus sumusq; con-  
stituti: convitium tamen non effugimus,  
quo civibus **NOSTRIS**, etiam in capitalibus,  
patrocinari, atque ita calamitates communi  
Civitati cælitus arcessere, vulgò traducimur.  
Itaque adeste, adeste. Nobis fortasse, ut mo-  
res nunc sunt, glaucoma aliquod ob oculos  
obicere potestis (quanquam veremur, ut ar-  
tes Dolonis locum nunc habeant, ubi res ni-  
mie

mis palàm est) at non potestis illi, qui supra nos: adeoque nec ipsis vobis: nam *Conscientia* secretò vos accusabit & lancinabit. *O temerum, si contemnis hunc testem!* olim ille sine **CHRISTO** Sapiens exclamavit; nos cum **CHRISTO; Et testem, & TORTOREM; immò ad tribunal illud extremi iudicij AccusATOREM. P. P. XXII.**

Aug. Horâ IIX.

**RECTOR ET CONSILIUM  
PUBLICUM.**

**I**TA negotium subito objectum est, ad cuius interiorum sensum & cognitionem vestra nunc maximè & cum dicto opus est præsentia; tuâ nempe,

N. N. }  
& tuâ } Franci;  
N. N. }

Itemque tuâ, } Catte.  
N. N. }

**COMPARETE** ad Senatum. Ita Nos volumus: itaque vos etiam velle debetis, qui religione juramenti nobis obstricti. Publicè propositum Hora IX.



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN

NUS FRANCUS, BONARUM

Litterarum Professor publicus.

**N**ON EST alius DEVS, quàm tu DOMINE:  
 cui cura est de omnibus: ut ostendas, quoniam  
 NON INIVSTE IUDICAS IUDICIUM.  
 Neque Rex, neque tyrannus in conspectu tuo inqui-  
 ret de his, quos PERDIDISTI. Hoc divinæ  
 SAPIENTIÆ Oraculum audite vos hodie,  
 Ô INSIPIENTES. Vos, inquam, QUI in  
 Leges nostras, contra datam fidem, toties  
 perjuri estis: QUI nocturnis grassationi-  
 bus Optimo cuique infesti & infensi estis:  
 QUI hestando, qui blasphemando; qui di-  
 cendis, qui non-dicendis flagitijs vos & ve-  
 stros; nos & nostros; homines & Deum fœ-  
 datis & deformatis: QUI Parentum, qui  
 Præceptorum tot calidissima vota impurissi-  
 mis quasi pedibus proculcatis: VESTRI so-  
 dalitij iterum unus ALIQUIS hesternâ no-  
 cte, vino & furore inflatus, & ferro sicarij,  
 sed familiaris sui, jugulatus ANIMAM EVO-  
 MUIT. Nos ergo tales cum ejusmodi virtu-  
 tibus rectâ in sinum Abrahæ ab Angelis por-  
 tatos affirmabimus? O mea juventus! Est


profe-

profec̄to Deus, qui quæ nos gerimus, audit q̄, & videt.  
 NON MENTITUR DEUS; NON, NON.  
 Qualem te invenio, talem te judico. Si ceci-  
 derit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem; in quo-  
 cunque loco ceciderit, IBI ERIT. JAM Cadaver  
 sepeliendum est. Quomodo ergo? SEPUL-  
 TURA ASINI. UT CANIS foras projicia-  
 tur. Cur Christiano affectu & ritu MOR-  
 TUUM sepeliamus, qui VIVUS Christo &  
 Christiano indigne vixit? Sed tamen & hic  
 sepeliatur: ob causas, quas Senatus noster,  
 cujus ego interpretes sum, dominovit. Obrua-  
 tur saltem terra, sine pompa ulla funebri. An  
 & aliquid fortè indulgebunt Ecclesiæ mini-  
 stri? Si placet, faciant. Nobis hoc delibera-  
 tum est; deinceps eos, qui vitam sibi & Dia-  
 bolo vixerunt, mortuos etiam communi  
 CHRISTIANORVM DORMITORIO  
 prohibere. Cur fratres CHRISTI & Belia-  
 lis non sic etiam DISCRIMINEMVS?

AT tu DOMINE Deus, miserator & mise-  
 ricors; patiens, & MVLTAE MISERICOR-  
 DIAE; miserere familiarium tuorum. Hic profec̄to  
 familia tua est: profec̄to domus hinc tua est, DOMI-  
 NE, quam tu tuâ manû excitasti. Pauculi aliquot  
 servi nequam & fratres Belial aliunde irrepserunt.  
 An tu etiam perimes justum cum injusto? Tu?cujus  
 Jolium super MISERICORDIA fundatum est.  
 Certè tu ille es, qui Abrahamo patri nostro etiam ju-



*ratus affirmasti ; si vel decem Iusti sint in omni Sodomō, te universis Sodomæis parsurū. Ecce hīc in tuā Civitate non decem modō Iusti sunt, sed decies centeni aliquot. Hi, ut tui sunt, et a tibi adserantur. Cæteros ruito, agito, rapito, tundito & prosternito. Sed enim ne facito, DOMINE; ne facito. Deus tu es, non homo. Men'em potius da bonam istis non bonis: & tu cum ipsis intra ipsos loquere: Ut te Jehovam (Propheta verbis) sequantur, tanquam LEONEM RUGIENTEM; & trepidi accurrant, ut avicula ex Ægypto, & ut COLUMBA è terra Assyriæ: & colloca tu eos in domibus ipsorum. Domus autem ipsorum nunc Sacrarium ACADEMIAE est. P. P. XXIII. Augusti.*



*LECTORI CANDIDO*

*ET PRUDENTI*

*S. D.*

**H**Æc Intimatio, LECTOR, sermunculis, ut audio, alicubi obnoxia fuit: ac si præter modum incaluisse, & auctor ejusdem, (qui ego sum, ut & reliquarum, excepta una atque altera, quas stilus & ipsa nominis subscriptio mihi adimunt, omnium) mortuo ferociter inequitasset. Ah! omitte hoc ἄποδοκῆν μῦθον, quisquis es, qui Taubmannum nosti; immò & tu qui non nosti. Egone mortuo?

tuo? qui largissimis etiam lacrymis interior-  
rem hunc animi dolorem, præter decorum  
fortasse, professus sum: præsertim cum nocte  
illa intempesta & fatali Cadaver adhuc quasi  
animam cum sanguine & semesis frustis eru-  
ctans, atque in medio luto provolutum &  
prorum meis manibus extraherem, supina-  
remque

— *Et, extremus si quis super halitus erret,*

*Ore etiam legerem* —

sciunt, qui mihi adfuere, quum Politico ma-  
gistratui, quod fieri solet, auctoritate publicâ  
corpus traderem; & unâ operâ jubere, ut cu-  
stodia è vigiliario suo properè excita vallû &  
muros undique obsideret: ne auctor cædis  
per tenebras elaberetur. Hocne mortuo ine-  
quitare fuerit? **N**ON equidem nego, mihi  
ipsi quædam verba Intimationis calidiora &  
duriuscula videri, si **N**U<sup>N</sup>C lego, postquam  
calor ille nonnihil refrixit. **Q**uid mirum; si  
tibi, qui foris es; qui alienus es; ad quem nihil  
horum unquam pertinuit; qui nunquam ma-  
lo nostro incaluvisti; si tibi, inquam, quædam  
etiam calidissima & durissima videantur? Sed,  
quæso te, mi **L**E<sup>C</sup>TOR, **C**A<sup>N</sup>D<sup>I</sup>D<sup>E</sup> & **P**R<sup>U</sup>D<sup>E</sup>N<sup>S</sup>  
**L**E<sup>C</sup>TOR, tecum seriò puta; te sub id tempus  
hic fuisse: munus & officium Recturæ gessisse:  
sanctionem disciplinæ, per religionem jura-  
menti & conscientiæ, tibi curæ esse debuisse:

tot patrum, tot matrum tenerrimos affectus  
 & desideria filios tuæ fidei concreditos esse:  
 te, te autem? imò & ante Rectores; Rectores  
 autem? iminò & Professores, suo quemque  
 loco, & Theologos militiæ nostræ quasi tria-  
 rios, in istos disciplinæ hostes, helluones, Ba-  
 ptas, nocturnos præmiatores, sanguinarios,  
 ordinis nostri dehonestamenta, ferè quoti-  
 diè, privatim publicèque, è pilo, è cathedra, è  
 suggestu, scripsisse, declamasse; ad languorem  
 usque scripsisse, ad ravim usque declamita-  
 se: sed istis omnibus nihilo plus profecisse,  
*quàm si* (quod Comicus ait) *ad sepulchrum mor-  
 tuo jocum dixissetis*, aut *Hylam* istum nugatoriū  
*inclamassetis*: post tot, inquam, tuas tuorumq;  
 molitiones frustraneas, si tandem vindex ille  
 oculus Domini in hæc intueatur, & exem-  
 plum statuatur, ut quisquis videat, quisquis au-  
 diat, cum Ægyptijs exclamet; *HIC DEI DI-  
 GITVS EST?* Nonné, mi Lector, ista rerum  
 intemperies tale quid tibi exprimeret, quod  
 mihi, aut Academiae potiùs, expressum non  
 nemo hodie miratur, aut indignatur? Nam,  
 ne nescias Lector, hanc Intimationem, planè  
 uti nunc est, dedita operâ ad Senatum, eum-  
 que frequentem, retuli: & quid eâ fieri vel-  
 lent, & utrum pro sensu & iudicio Academiae  
 scripta, rogavi. Nemo verbulum contra-  
 dixit.

dixit: nisi quòd quidam, pro rei atrocitate, & ut reliquis major terror injiceretur, alicubi exasperandam etiam contenderent: memores scilicet inter alia Concionis, qua *M Y L I U S ò mandavimus*, olim primarius noster, in facinus huic non multum ab simile è suggestu fulminabat. E qua quidem Concione (ne quid te celem, Lector) mea hæc Intimatio calorem & spiritum, & pænè verba haufit. Nam valde indecorum sit, ne dicam improbum; quod in hoc communi & publico Sapientiæ & Pietatis ædificio Theologi exstruunt, Rectorem destruere. Absit, absit. Vetus illud Tertulliani jam diu est cum nostrum fecimus, & sano sobriò-que sensu exclamavimus: *CONCORPORAVIT nos Scriptura divina. Litteræ ipsæ glutina nostra, sunt. nostra est compago.* Hæc & alia, quæ multa, & vero, dici à me poterant, agnosce Lector; meoque, si quod est, peccato ignosce: nec calculum damnatorium præcipita: ne Minus tibi suum impingat:

*Ad pœnitendum properat, citò qui  
judicat.*

C A T E.

CÆTERUM & Patrem interfecti, qui alicubi in Voitiandiâ, an Francia? Theologum profitetur, nescio quid litteris hinc inde scriptis turbare audio, meque nominatim ( ut mollissimè dicam ) vellicare & laceffere: quem, meâ sententiâ, post factum præstaret quiescere, & alto animo, id est, Theologico, altum illud sibi vendicare, DEUM SE QVI. Haud negaverim.

(—neque enim mihi cornea fibra est)

Patrem casu filij ita attritum, ut cum Homérico illo Jove ἀματωέσας ψιάδας etiam destillare potuerit: sed tamen, ut dixi, prudentiùs faceret, meo animo, si animum tandem vinceret, & se non jam patrem, sed Theologum probaret. Si quid asperius in Intimatione ipsi visum, cogitet, Patres Academicos tunc non filij sui, qui jam nullus, sed superstitum rationem potissimùm habuisse: ut qui suis æquè cari sint, atque ipsi suus fuit. Nempe hoc spectaculū & exemplum emendationi & saluti cæterorum servire debebat. In omni animadversione, inquit SAPIENS, prudens non præterita, quæ revocari non possunt; sed FUTURA intuetur: nec punit, quia peccatum est, sed NE PECCETUR. Idem hic censeatur. Et debebat bonus ille senex, si saperet, hunc honorem Senatui nostro Academico habere, itaque

itaque de eodem aestimare, ut qui usu jam didicerit, quo pacto ejusmodi merces tractari debeant. Et quid tamen, bone Senex, de sepultura turbas? Atqui sepultus est filius tuus; & ijs omnibus Ceremonijs, quibus apud nos solent. Nec Cadaver foras projectum est: sed ibi locum invenit, ubi meos ego pater composui, & ubi à meis sepeliri aliquando in votis est. Da, mi Deus, da: & tibi idem, bone Senex, bonam det mentem, ne pergas malè loqui melioribus. Namque ecce, dum hæc scribo, ostenduntur mihi à populari (scin' quo?) litteræ, & in ijs colubrini dentes tui, quos huic capiti intentas. Quæso, quæso te, *σώμα ἀχάλινον* istud tuum compesce. Ni feceris, ea fortasse audies, ut tu, & omnes qui juxtà tecum audierint, cædem filij tui sacro illo Prophetæ Oraculo, per fidem Conscientiæ, obsignare cogantur: JUSTUS ES DOMINE, ET IUSTUM JUDICIUM

TUUM. Ταῦτά σοι

Τῶν ἠθ' ὁμοίως, κ' ἀπὸ τῆς γλώσσης λέγω

Taubmannus.



RE

ti, qui a-  
ologum  
de scri-  
im ( ut  
cessere:  
æstaret  
ologico,  
E Q V I.  
ra est)  
Home-  
iam de-  
ruden-  
ndem  
heolo-  
n Inti-  
Acade-  
us, sed  
buisse:  
us fuit.  
emen-  
ebat.  
s, pru-  
ent; sed  
um est.  
tur. Et  
nc ho-  
abere,  
itaque



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM  
Litterarum Professor publicus,

LECTORICVM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE  
S. D.

**T**ESTIMONIUM Vitæ & Studiorum  
à Nobis petijt JOHANNES GOGLE-  
NIUS Vnnensis. Quod dum faciebat, pri-  
mâ fronte non mirati sumus; ut qui facere  
videbatur, quod qui hodie non facit, perpe-  
ram facere vulgò aestimetur. Sed cum in colo-  
loquium mecum veniret, & se mihi oratio-  
ne quasi aperiret, supervacua ilicò hæc vi-  
debatur opera; ut qui ab alio foris quæreret,  
quod domi haberet: quâ præsertim erudi-  
tionis & doctrinæ res fuerit. Ita enim pla-  
nè statuebam; qui GOGLINIUM pervi-  
dere velit, & quid ille solidi crepet (ut Poëta  
loquitur) præscire; eum oportere tantùm  
vetus illud Philosophi in hunc usurpare;  
Loque-

Loquere, ut te videam. Fac, mi Lector;  
 & videbis imaginem animi longè expres-  
 sius, quàm ut calamo à nobis obiter sic de-  
 formari queat. Faciemus tamen: non,  
 quia valdè opus, sed quia petit, qui id sibi  
 utile & necessarium esse arbitratur; hoc in-  
 primis tempore, quo V N N A M proficiscitur,  
 Scholæ ibidem magisterium, de sententiâ  
 Magistratûs, aditurus. Testamur itaque,  
 nec nostrâ tantùm fide, sed & Collegarum,  
 qui hominis rationes penitiùs habuère co-  
 gnitas, ipsum in hac Scholasticâ societate  
 versatum esse quasi sesquiannum: bonas lit-  
 teras & Philosophiæ studia non obiter & ad  
 pompam, ut vulgò nunc solent; sed accura-  
 tè atque ad usum & suum & aliorum didi-  
 cisse. Theologorum etiam scholas frequen-  
 tasse; atque ita profecisse, ut quam profiteretur  
 ex affectu Christiani doctrinam, eam & pro  
 se satis intelligat, & contra adversariam  
 tueri valeat. Intereâ tamen non in ijs fuit,  
 qui, ut Lucianus loquitur, ἀπὸ ἀκρῶς χεῖρας  
 φιλοσοφῶσι: sed à pectore & intimo sensu  
 philosophatus est: hoc est, non satis habuit  
 benè dicere, nisi & benè viveret. Illud illu-  
 stris Viri publicum, putabat sibi quasi propriè  
 dictum:

ΜΟΚΥΝΗ



MORUM malorum pestilentis spiritus  
Sive afflat, aufert; sive stringit, inficit.

Ne forte te ullis alliciat contagijs

Pruritus aliquis, namq; si mores malos

Non oderimus, non antabimus bonos.

*ATQUE hoc est, quod nunc quidem  
pro testimonio dicere Alumno nostro habui-  
mus: quod & Sigillo Academiæ insigni-  
mus XXIV. Augusti, Anno Chri-  
stiano MD. LXX. IIX.*



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-

NUS FRANCUS; BONARUM LIT-

terarum Professor publicus.

**M**ARGARITA HUNGARIA post  
annos aliquot sexaginta, quos honestè  
exegit, heri inter homines versari PIE desijt.  
Hodie sepelienda est. Quod si omnes, quibus  
illa ad hoc usque senium alimenta domi suæ  
procuravit, defunctæ exsequias ire vellent  
aut possent, omnibus capiendis neque Cæ-  
meterium, neque adeò hoc Opidum, esset. Et  
non nescio, multos alibi vivere, qui unice hoc  
cupèrent, & qui votum etiam suum avidè  
urget.

urgerent, si omninò possent Exsequiarum fieri comites. Quæ enim regio universæ ferè Germaniæ tam remota est; immò & Extrororum multæ; ubi non reperiantur, qui Optimæ huic fæminæ se debere non fateantur? MATRIS nomen, quod aliæ usu habent, aliæ affectant, hæc MERUIT. Certè optima fæmina omnem vitæ occasionem, sanguinè etiam & spiritum; quid si & reculam familiarem? esui usuiq; Juventutis impendit. Nos ipsi olim in ista ætate & Ordine sumus experti, quàm serio affectu, etsi fortasse non parì semper effectu, egerit quod egit. Adeò quidem, ut moriens hoc Testimonium bona fide & conscientia secum auferre meruerit; & sepulcro etiam incidi: PLURIMARUM MATRUM FILIIS EGO MATER FUI. Itè ergò tot filij uni Matri exsequias, quã potestis: quas Curatores funeris ad horam postea IV. indixere. Ego ipse, nisi publicum è transverso, quod solet, aliqua turbaverit, in primis ero, & agmen & quasi sertam gratorum filiorum ducam. Sequimini præeuntem, vos o mei, vel factu, vel certè affectu, si illud non licet; quotquot Pietatis & Gratitudeis stimulus in BENE MERITAM FÆMINAM excitaverit: P. P. die XXVI. Augusti, Anno Christiano  
 cl. lxx. IIX.

G

RECTOR

RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM LIT-  
terarum Professor publicus.

LECTORI CVM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE

S. D.

**T**HEODORUS ab OESEDEN Flens-  
burg. Holsatus aliò profecturus Testimo-  
nium Vitæ & Studiorum à nobis petijt. Sanè  
poteramus laboris sumpti compendium fa-  
cere. Et scin', Lector, quomodo? Testimoni-  
um optima nota Flensburgo & Lubecâ se-  
cum attulit: huic inscribi poterat; THEO-  
DORUS ab OESEDEN SEMPER SU-  
SIMILIS. Et sic profectò est: quasi in sectam  
juratus, ita nunquam ab se, hoc est, à Virtute  
abijt, quàm diu in hac litterariâ versatus est  
Republicâ. Destinatione parentũ, aut eorũ  
qui affectu & curâ tales se faciunt, Legũ  
Iustitiæ sacraria affectavit: ut scilicet in Pa-  
trem cum atate transfiret, & quod de alijs sæ-  
pè di-

pè dicis causâ usurpatur, in sese verum & quasi proprium experiretur, Fortes creantur fortibus—Sed dum hoc arduū conatur, instrumentis ad eam rem utilibus & necessarijs sese munit & preparat. ne à germano aliquo Jurisconsulto Xenocratis illud convitium in se torqueri sentiat, qui rudi cuidam, & tamen ad diatribam suam adspiranti, Πορεύς, ἔφη. Λαβας γὰρ εὐχαις Φιλοσοφίας: Abi, abi, inquit, non enim anfas habes Philosophiæ. Linguas, inquam, principes illas Latinam & Græcam studiosè probeq; didicit: in Logicis etiã curiosè versatus, & Disputationum exercitijs ingeniū & industriam cum laude auditorij periclitatus est: nec reliquas Philosophiæ partes, quæ Iurisprudentiam & Vitam civilem aut juvare aut ornare poterant, neglexit. Parcè & modestè sic hominem laudamus. Quippe qui modestiam adolescentis eam esse sciamus, ut ambitiosius laudantem, licet verè, sustinere non possit. Quisquis periculum in ipso feceris, re & factò plura invenies, quàm titulo aut prima fronte promissum fuerit. Experire Lector; & habebis fidem his nostris, quæ litteris consignavimus, & sigillo

sigillo Academia insignivimus pro pridie  
 Calend. Septembr. ANNO Christiano  
 clo. lxx. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, BONARUM LIT-  
 terarum Professor publicus.

LECTORI CVM DEBITA HO-  
 NORIS PRÆFATIONE  
 S. D.

**H**ELFRICUS VLRICUS HUNNUS  
 us Studiorum & Vitæ petit Testimo-  
 niam. Quis iste, inquis, HUNNIUS est?  
 ÆGIDII filius, Theologi illius, quem o-  
 mnes mortales norunt; nisi qui Theologi-  
 am ignorant.


Ecquid imbellem feroces  
 Progenerant AQUILÆ Columbam?  
 Non debebat; sed tamen solet fieri, &  
 sic frequenter, ut in trivijs vix quicquam  
 hodie sit tritius, quàm vitium istud, & in  
 meliores animas convitium; HEROUM  
 FILII

**FILII NOXÆ.** At noster tamen (heu olim!) **HUNNIUS** rarâ & singulari quâdam felicitate palmam in contrarium hucusque possedit. Ab se se filios reliquit omnium litterarum meliorum & disciplinarum candidatos. Quid dicam? Colossus ille Ecclesie Christiane & parens horum, corruit. Ad vide mihi patris hujus filios. Germana νόσος ἀπαράγματος, & uno verbo, **HUNNIANI** sunt. Suam quisque viam grassatur ed.

Edita Doctrinæ SAPIENTUM templa—:

sed pari affectu & calore omnes, pulcherrimique certaminis exemplo, & quod utinam è juventute nostrâ imitari, vel saltem amulari plures anniterentur! Hic quidem **HELFRICUS VLRICUS**, de consilio (ut existimatur) Patris olim, Iuris disciplinam sibi elegit, quam bono Reipub. Christiane tractaret. Et fecit hucusque; fecit profectò: atque, ut votum nostrum est, & præclare ista mina sperare nos iubent, deinceps etiam facturus. Supra soccum meum est, de Iuris Candidato iudicium ferre, sed tamen testes audire debeo excellentes in Iure magistrōs, qui hunc nostrum ita profecisse censuerunt.

fuerunt, ut, in hac etiam etate non sine  
 grandi palmam exercitatisimo cuique ali-  
 cubi facere possit ambigam. Periculare ho-  
 minem, Lector: & jam periculum adulationis  
 aut coloris nos effugimus. At vos illi  
 majorum quasi gentium in re litteraria pa-  
 troni, & quibus memoria HUNNIANI no-  
 minis non ingrata est, iuvate, quæso, No-  
 strum HUNNIUM Re, Operâ & Consilio:  
 Scituri, Reipub. Christianæ impendi, quic-  
 quid HUNNIANIS impenditur. Ita res  
 est, & ita litteris Testimonium etiam no-  
 strum commisimus, & Sigillo Academiae im-  
 signivimus, ipsis Calend. Septembr. Iulij.  
 Anno Christi clo. lxx. iix.



RECTOR ET CONSILIUM  
 PUBLICUM.

**T**RIA sunt, quæ nunc quidem publica-  
 mus. PRINCIPIO, Te N.N.N. Perem-  
 ptoriè CITAMUS, tergiversantem diutius  
 minimè passuri, volumusq; ut die XXI. Se-  
 ptembris proximo, ad Senatum nostrum  
 compareas, causamque dicas, cur ex Arrepto,  
 hinc discesseris. DEIN

DEINDE, Te, N. N. N. quoniam CITATUS  
 auctoritatem Magistratus detrectasti, & scele-  
 ris conscius hinc profugisti; ad annos quinque  
 RELEGATUM volumus; & hanc sententiam  
 universæ Civitati litterariæ publicatum.

Te denique, N. N. N. quia nunc olim rele-  
 gatus, die præstituto, quod Rectori promise-  
 ras, Urbe non exiisti: deinde egressus, antè  
 quàm oportuit, rediisti: reversus in loco im-  
 memorabili (ne quid aliud dicamus) delitui-  
 sti: affinis rebus non sanè optimis fuisti; spe  
 nostra & tuorum elusâ; religione juramenti  
 prostituta; juventute nostrâ exempli conta-  
 gio violata: Te, inquam, cum ejusmodi virtu-  
 tibus nunc iterùm, non quidem, ut olim, ad  
 annos tres, sed ipsos viginti, RELEGAMUS;  
 atque adeò hodie ante Solem occasum Urbe  
 & agro Wittebergeni exire jubemus.

— *immedicabile vulnus*

*Ense recidendum est: ne pars sincera trahatur.*

P. P. die XI. Septembr. anno clō. Iōc. II. X.

AT vos cæteri in hæc exempla intuiti CA-  
 VETE, & pravum in primis SODALITUM,  
 præsentaneam ingeniorum pestem. Ana-  
 charfides Scytha interrogatus, τί ἴσθι τὸ πολέ-  
 μιον ἀνθρώποις; αὐτοῖ, ἔφη, ἑαυτοῖς. Quid homini  
 maximè infestum esset? Ipsi, inquit sibi ipsis. Usq;  
 adeò ab homine homini quotidianum periculum,

on sunt  
 que ali  
 are ho  
 ulatio  
 vos illi  
 riâ pa  
 ANINO  
 o, No  
 onsilio:  
 , quic  
 Ita res  
 am no  
 mia in  
 r. Julij

U M

publica  
 Perem  
 diutius  
 X I. Se  
 strum  
 Arrelto  
 DEIN



teste philosopho Romano. Nam reverâ hie  
 adolescens naturâ non malus fuit: (novimus  
 hominem,) sed ut ab optimis natus, ita & o-  
 ptimæ indolis erat: & modestus, quamdiu si-  
 bi & talibus convixit. Sed quàm primùm ve-  
 nenato istius Sodalitij halitu afflatus est, cum  
 que sui dissimilibus conversari cœpit; suos  
 mores exsuit; istorum induit, & simul hanc  
 NOTAM. Quam tamen si seriâ pœnitentia  
 cluerit, jamnunc patriæ virum magnum  
 promittimus: & ut fiat, Deum etiam seriò  
 veneramus.



RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, PROFESSOR  
 bonarum litterarum publicus.

**A**D ΕΥΧΗΜΒΟΣΟΥΝΗΝ ἢ Εὐλαξίαν illam, quam  
 in Ecclesiâ summoperè observandam,  
 Gentilium præcepit Apostolus, & hoc anni  
 tempore, festum Michaëlis, de more & insti-  
 tuto Majorum celebratur; non quidem in  
 honorem Angelicorū exercituum; sed in ho-  
 norem DOMINI nostri JESU CHRIS-  
 TI, qui Militiæ cælestis est archidux, sacrisq;  
 in lit-

in litteris Ἄγγελος μεγάλης Ἑλλάδος, itemque Malach habberith disertissime nominatur. Et sane debet festum istud primo esse festum διδακτικόν, quo doctrinam de Angelis populo tradi, & annuam repetitione inculcari convenit. Sicut enim reliquis articulis Religionis nostrae primarijs certi dies festi peculiariter consecrati sunt, quibus illi publice tractari & explicari solent: Ita quoque par est & æquum, ut doctrinae de Angelis dies quidam anniversarius destinetur, praesertim cum dignitas & praestantia illius summa, jure quodam suo, istud postulare videatur. Partes autem doctrinae illius nobilissimae augustissimaeque duae constituuntur praecipue: Altera est de Substantia: Altera de Officio Angelorum. De Substantia Angelorum disputatur varie. In primis verò de Materia eorum, nec non de tempore, quo fuerint conditi. Nazianzeno hæc tribuitur sententia: Quòd ante Cæli Terræque Creationem Angelica natura ex nihilo fabricata sit. Quidam, secundo die eosdem conditos, & eodem quam plurimos eorum lapsos fuisse, statuunt. Alij ad primum τῆς παρυγενείας diem eorum creationem referunt, eosque adeò unà cum luce ex luce productos esse, conjecturam faciunt: inde, quòd natura eorum ad naturam lucis aliquo modo accedere videatur, attestantibus id

tum nominibus Seraphim & Uriel, quibus Angeli in Scriptura insigniuntur, tum sententia illa Davidica Psalm. 104. qua Spiritus illi administratorij Esch lohet, id est, Ignis flammescens & fulgescens, dicuntur. Eodem quoque collimare creditur pronunciatum JEHOVÆ, Job. 38. quo proficitur, se, cum poneret fundamenta terræ, ab astris matutinis laudatum fuisse, omnesq; Filios DEI jubilasse.

De Officio autem Angelorum tenendum, quòd illud, Theodoreto teste, consistat partim ἐν τῷ ὑμνεῖν: cujus illustria admodum exempla habemus, Esa. 6. & passim in Apocalypsi; & à Phosphoro illo Theologorum, Nazianzeno lib. 2. de Theolog. appellantur ὑμνωδοὶ Θείας μεγαλώτητος, θεωροὶ δόξης αἰδίου, καὶ αἰδίου. Partim ἐν τῷ διακονεῖν, de quo Hebr. 1. Ubi definiuntur λειτουργικὰ πνεύματα, εἰς διακονίαν ἀποσελλόμενα, διὰ τῆς μέλλοντος κληρονομεῖν σωτηρίαν.

Deinde Festum, quod hodierno die in Ecclesia solennitate publicâ celebramus, esse debet festum ἀναμνηστικόν, quo pia cogitatione & memoriâ repetendum & ruminandum quasi, quot & quanta beneficia summè misericors Deus ad hunc usque diem, per sanctos Angelos, in nos & nostros contulerit & collocarit. Verè enim magna est divina gratia, quod constituta vobis est Angelorum custodia; imò tanta, ut non immeritò

Immeritò exclamare possimus cum Regio  
Psalte, Ps. 144. *Domine, quid est homo, quod agno-*  
*scis, aut filius hominis, quod reputas eum?*

Adhæc Festum hoc Angelorum esse con-  
venit, Festum *εὐχαριστικόν*, quo Omnipotenti  
& Immortali Deo gratiæ, quantas maximas  
animus noster capere potest, agenda & per-  
solvenda sunt, quòd Ecclesiam, quòd Remp.  
quòd nos singulos & universos, ope atque  
opera Exercituum cœlestium, adversus tot  
hostiles Diaboli & organorum ejus infidias  
& insultus, salvos & incolumes præstiterit  
& conservarit. Anno superiori ubique grassa-  
batur pestis, quâ in hoc etiam Principatu  
multa milia hominum miserè perierunt.  
Æstate proximâ passim in vicinia armorum  
strepitus audiebantur, omnia militibus com-  
pleri, omnia ad bellum conspirare videban-  
tur, pericula, quæ aliunde impenderunt, si-  
lentio præterimus. Ex ijs tamen omni-  
bus erepti sumus. Cujus auxilio? Angelo-  
rum. Hi nempe sunt cælestes administri &  
custodes, per quos pestem abegit, arma disje-  
cit, bella compefcuit, cætera pericula depu-  
lit Dominus. Hoc, hoc inquam hodierno  
die gratâ mente agnoscendum, summâ animi  
devotione celebrandum, prædicandum.

Tandem

Tandem Festum hoc esse debet festum  
*ἑυκλικον*, quò porrò æternus DEUS ardentissi-  
 mis suspirijs invocandus & exorandus est, ut  
 deinceps quoq; cælestium Spirituum præsi-  
 dio nobis adesse, & leonis infernalis furori-  
 bus & molitionibus divina sua potentia resi-  
 stere velit, ne vel corpori vel animæ nostræ  
 damnam inferat. Inprimis verò vota faci-  
 enda sunt calidissima, pro hac nostra Acade-  
 miâ, *ut habitet in abdito Altissimi, & in umbrâ O-*  
*mnipotentis commoretur perpetuò, ne affligat illam*  
*malum, & flagellum non appropinquet tabernaculo*  
*ipsius.*

Quod ut eò faciliùs consequamur, Vos  
 agite, Cives Academici, imitamini Vitam  
 Angelorum, **P I E, J U S T E, C A S T E** vivite:  
 semper oculis & animis vestris circumferte  
 illud Bernhardi in Explicatione Psal. 33. *Qui*  
*habitat, &c. Serm. 12. In omni loco, in omni angulo,*  
*reverentiam habet tuo Angelo, neque illo præsentem fa-*  
*ciat, quod me præsentem erubesceres.* Et hoc Basilij  
 in Psalm. 33. *Πάντι πεπιστευκόμεις τον κύριον*  
*ἄγγελον παρεδίδει, εἰ μήποτε αὐτόν ἡμεῖς*  
*ἐκ τῶν πονηρῶν ἐργῶν ἀποδιώξωμεν. ὡς γὰρ τὰς*  
*μέλισσας κάπνισμα φυγαδεύει, καὶ τὰς περὶ σέ-*  
*ρας δυσώδα ἐξελαύνει. Οὕτω καὶ τὸν φύλακα*  
*τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελον ἢ πολυδάκρυτος καὶ δυ-*  
*σώδης ἀφίσησιν αἰμαρτία.* Et, quòd eadem  
 opera indicendum hodiè, *Ad gratiam consuetam of-*  
*ferre*

*Ferte munuscula; istaque adeo liberalitate, vestram erga Deum gratitudinem, pro custodia Angelorum, tam benigne vobis & toti Academiae haecenus concessa, alacri studio declarate. P. P. Festo die Michaelis, anno Christi Archangeli M. DC. VIII.*

Interprete Doct. Balduino  
tunc Decano.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM  
Litterarum Professor publicus.

*Angelicus hodie sese excubitoribus ornat  
Instauratq; lubens festos Ecclesia ritus.*

*Prima quidem istius non est dignatio Festi,  
Qualia nos voluit quater instaurare quot  
annis (nis:*

*Majorum pietas, & ad Aram tollere do-  
Sed tamen in pretio est: & sunt in origine  
cassæ.*

*Descendisse Deum celo serviq; figurâ  
Te docuisse viam, celos quâ tiber adires,  
Summa boni summi est; Stygia tamen An-  
guis ab alvâ* Cras

festum  
lentissi-  
s est, ut  
præsi-  
furori-  
ia reli-  
nostræ  
ta faci-  
Acade-  
bra O-  
at illam  
rnaculo  
r, Vos  
itam-  
rivite:  
nferte  
33. Qui  
angulo-  
nte fa-  
Basilij  
ύρον  
ήμεις  
S τὰς  
εἰσε-  
λανα  
γ) du-  
dem  
eta of-  
ferro

Cras hodiè ve potest; Cælo nisi subditus om-  
mneis

Angelus excubitor pro te dissolverit astûs  
Vulcani quoties nostræ furor igneus  
urbi

Intentare minas tacitâ sub origine flammæ  
Ausus, & in cineres spem multi solvere  
sacli?

Exstinctus primâ est adolescens ignis in  
irâ.

Nempe hoc Excubitor divino è milite fecit.  
Hinc adeò meruit lux hæc sollemnis haberi,  
Qui pro tam fido pendantur Milite grates,  
Intra Urbem valliç orbem vis quanta  
domorum est,

Et resinatæ textarum ex arbore tedæ,  
Quæ rapiant animentq; tenaci fomite  
flamman.

Jam mihi quis numero poterit subducere  
lychnos,

Quos alit hibernis pubes nocturna tenebris  
Cunctus in urbe aliquem pro se fovet angu-  
lus ignem,

Et quem sepè minus cautè manus ebria  
tractat:

Nec tamen auditum est centenis amplius  
Noxia

Noxia Museam fecisse incendia pubem.

Hoc etas mirata patrum est: hoc censuit  
unum

(Cetera si facta caussarum pondera desint.)

Suppeditare sacro sollemnia posse diei.

Hoc grates meruit: grateis hoc porro me-  
reri

A gratis debet. tales nos simus, & ista

Sacremus pietate diem, CHRISTOQUE  
litemus

Vota, quod ANGELICOS armavit in ista  
ministros.

ANGELUS ille etiam est, viva qui  
voce salutem

Nuntiat è speculâ suggesti, & servus ad  
Aram est:

Hunc quoque condigno meritum venerabe-  
re dono.

Perversè parca est manus, heic qua parse-  
rit ari.

P. P. Sollemnibus Michaëlis.



RECTOR





RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS, ELECT. SAX. ALUMNIS  
Academicis & Expectantibus.

**E**XAMEN & Censura studiorum vestro-  
rum sollemnis altera hoc Anno agenda  
est. Quocirca die crastini ad horam VI. loco,  
quo soletis, convenite: Dictata Professorum,  
quos quisque destinatione Inspectorum ha-  
ctenus audivit, vobiscum adferte: stilum  
item & chartam & quæ huic usui sunt, ut  
SCRIPTUM, cujus argumentum vobis da-  
bitur, pro se quique, arbitris Inspectoribus,  
componatis, fidei & profectus vestri in hoc  
studiorum genere testimonium, Professori-  
bus in EXAMINE, quod vobis cras determi-  
nabitur, exhibendum; adeoque ad Aulam  
cum Censurâ de singulis vestrum porrò mit-  
tendum. Hoc Vos ergò sic facite, ut postmo-  
dum etiam Præceptores & PRINCEPS ipse  
suum possint. P. P. Sollemnibus

Angelorum. Anno Christiano

M. DC. IIX.

RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-

NUS FRANCUS, PROFESSOR BO-

narum litterarum publicus.

**V**ALENTINUS WENERUS Mûlba-  
chio Francus Carmen hodie de ANGE-  
LIS recitaturus est. Qui auctorem nostis,  
scio quid dicturi sitis: Itane adolescentulum,  
& ut facies hominis est, pænè puerum nos au-  
diamus? Nolite, vos ô mei, iudicium præcipi-  
tare. Audiamus hunc puerum. de me; cum  
voluptate, atque inter primos, id faciam. An-  
nis, & fortè moribus etiam, puer est: non cer-  
tè, quia doctrinæ res est, meo iudicio. Sine affe-  
ctu dicam: Vidi, qui in Poëtica sua Lauru fa-  
stidiunt: quibus eam puer hic cum plausu  
spectaculi e capite præripiat. Sanè carmen  
hoc, quod nunc recitaturus est, ingeniosum  
est Inventionem: dispositio ex arte: Elocutio  
Poëtica: quanta quidè esse possunt in isto æta-  
tis & fortunæ modo singula. Quid volumus  
amplius? si actio concinna accesserit, poteri-  
mus illud Veronensis in Calvum nisi falli-  
mur, sano & sobrio sensu acclamare: *Di ma-  
gni salaputium disertum!* sed tamen, ut, quod  
sentio, jam nunc liberè dicam & prædicam;

H

subve-

subvereri ipse incipio, ut hoc, quod primum,  
aut inter prima oratoris est, præstet. Et fortè  
cum Montano illo Julio facilius versum exi-  
mij alicujus Poëtæ imitetur, quàm vocem e-  
jusdem & os & hypocrisin. Sed AUDIAMUS  
P. P. Sollemnibus Angelorum.



RECTOR UNIVERSITATIS  
STUDII VVITTEBERGENSIS,  
FRIDERICUS TAUBMANNUS.

CRASTINI diei hora septima Examini  
& Censuræ BENEFICIARIORUM  
Academiæ à Doctoribus & Magistris Pro-  
fessoribus destinata est. Vos igitur omnes,  
qui Stipendijs *Polichiorum, Gôdenorum, Beska-  
vverorum, VValvvitziorum, Bergerorum, Huseorum,  
Schlammaverorum, Neviorum,* & censûs hujus a-  
liorum, quorû aut Cura aut Dispensatio Aca-  
demiæ est, hætenus fructi estis, ad horam di-  
ctam convenite. Vos item, qui *Templi Aca-  
demici chorum* Psalmodijs celebratis: QUIQUE  
famali communis mensæ, quam vocant, in-  
*Qsiditio* estis. Et vos denique *milites* (ut  
Comicus noster cavillatur) *panicei* & levis a-  
lmonix, hoc est, quibus certi panes quotse-  
ptima-

primanis distribuuntur. Vos, inquam, omnes ad tempus dictum, in loco quo soletis, cum Scripto domi & sine opera Dolonis ferentaria composito (qui scilicet ejus estis ætatis & profectus, ut præstare valeatis) comparete, pretium virtutis suæ pro se quique accepturi. P. P. die III. Octob. ANNO Christiano cl. lxx. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM LIT-  
terarum Professor publicus,

LECTORI CVM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE  
S. D.

**T**RALATITUM hodie & pervulga-  
tum est in utraq; militia; illam inquam  
Martiali, & hanc nostram, quam sic appel-  
les, Litterariam; testimonium Virtutis suæ  
litteris commissum circumferre. Quem mo-  
rem, si cum modo habeatur, nemo vituperet,  
qui mores seculi noverit: sed si, ut diximus,  
cum modo habeatur, hoc est, judicio & pruden-

prudentiâ temperetur cùm petentis tùm  
dantis testimonium. Sæpiculè enim fieri vi-  
demus, ut sub tam honesto sipario & velo  
homines immodesti & immorigeri fabu-  
lam agant (ut decime Musæ sive Plauti  
verbo utar) immemorabilem. Videmus, &  
erubescimus, votoque & pœnitentiâ postea  
corrigimus; sed frustra: cum re & facto jam  
requeamus. Audiamus Poëtam, sed fide  
non Poëtica:

Qualem commendes, etiam atque  
etiam aspice.

Nos nunc quidem, cùm M. SAMUEL  
STANGIUS Oldenburgo-Erisius vitæ stu-  
diorumq; à nobis testimonium peteret, in  
hominem non obiter & oculo transeunte,  
sed etiam & etiam intuiti sumus; nec nostris  
tantùm oculis, sed & eorum, & Professorum  
quidem vicarijs, qui ipsum proprius nove-  
runt, & quos nos in re tali lynceos novi-  
mus. Illi igitur pari fide & iudicio mecum  
testantur, hunc STANGIUM, quàm diu  
Civitatis nostræ litterariæ socius fuit, virtu-  
te & morum honestate locum ordinemq; su-  
um ita ornasse, ut cum optimo honestissimodq;  
certare, spe certâ victoriæ, potuerit. Et cùm  
studia

studia ipsius primariâ destinatione fuerint  
 Theologica, tali viâ ac modo in illud sacra-  
 rium Religionis pervasisse, ut prius Lingua-  
 rum Latina, Græca & Hebraica cognitio-  
 ne, deinde & sobriâ Philosophiâ pectus im-  
 bueret: neque, ut levi quidam & imperiti,  
 affectum fuisse, ut illam Sapientiam, quam  
 vocant secularem, in vili habendam cen-  
 suerit. Augustini est: Si qua Philosophi  
 vera dixerunt, ab eis esse, tanquam in-  
 justis possessoribus, vindicanda. Vindi-  
 casse hunc nostram, si qua talia, calido &  
 erecto animo, universa nostra testatur Aca-  
 demia. Ingenium etiam & profectum,  
 in studijs publicè privatimq; periclitatum  
 esse, & toti auditorio probasse; præsertim in  
 Hagiographicis, quibus & memoriam sui,  
 & juventuti nostræ exemplam reliquit  
 planè singulare. Et vel ob hoc bonum à Bo-  
 nis omnibus amari & promoveri dignissi-  
 mum censemus. Facite, qui potestis, &  
 Salvete à Nobis, qui hæc à Fide & Vero di-  
 Et ara litteris commissimus, & sigillo Aca-  
 demie insignivimus IV. Octobris,

ANNO Christiano

M. DC. IIX.

H 3

RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM  
Litterarum Professor publicus.

COLLEGIA Poëtarum Romæ olim fu-  
isse, credo, scitis omnes: eaque & priva-  
ta & publica: atque illa quidem domi, & in-  
ter familiares tantum & benevolentes: ista  
verò in templo fortè Apollinis, & Athenæo  
sive Minervio: primo auctore Asinio Pollio-  
ne, sub Augusto. atque hæc in plures se dif-  
fundebant, admissis etiam ignotis, aut ultrò  
etiam voce, codicillis & libellis publicè invi-  
tatis. In utrisque Collegijs Poëtæ & Rhe-  
tores potissimum sua recitabant: hoc est, ju-  
dicabantur & judicabant. Et ea quidem Col-  
legia, sive ut Martialis appellat, *Scholas Poëta-  
rum*, in magno honore fuisse, illud etiam ar-  
gumento est, quòd ipsi Principes & Impera-  
tores inter Auditores; & Recitantibus vel in-  
opinatò interdum supervenerint; quod de  
Domitiano, & Claudio, & Augusto, ex fide  
traditur: immò ipsos etiam sua quandoq; re-  
citasse, ut hominum judicia periclitarentur.  
Qui mos Recitandi certè mirum in modum  
utilis

utilis fuit; sistendis quibusdam ingenijs, qui-  
 busdam dirigendis: ille præsertim qui inter  
 privatos fuit, ubi liberaiora esse poterant judi-  
 cia. O utilem, iterum dico, utilem morem, &  
 pro meo etiam voto, non tantum Lipsij, revo-  
 candum! hodie præsertim, ubi seminarium,  
 illud Scriptorum Typographia nos statim  
 producit pariter & traducit: & ubi pœniten-  
 tiæ nullius amplius locus relinquitur. E no-  
 stra quidem juventute aliquot hætenus sua  
 publicè recitarunt: sed si mei arbitrij res fu-  
 isset, maluissem, ut domi prius & inter ami-  
 cos perichitati essent, ipsorum bono. Quan-  
 quam mihi quidem, qui publicis nonnullo-  
 rum Recitationibus interfui, nihil magno-  
 perè displicuit, nisi **ACTIO**, sive (ut Fabius  
 appellat) **PRONUNCIATIO**: quæ est *Vocis*  
*& Vultus & Gestus ex rerum & verborum dignitate*  
*moderatio cum Venustate*: Vel, ut brevius dicam,  
*quæ an quasi Corporis Eloquentia*. Et qui hanc  
 veris intuetur oculis, non mirabitur, Demo-  
 sthenem olim eidem primas dedisse; dedisse  
 secundas; dedisse tertias. Nam, autore Ci-  
 cerone, omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio in  
 dicendo una domiratur: sine hac summus Orator esse  
 in numero nullo potest: mediocris hæc instructus sum-  
 mos sæpè superat. Martialis in quendam suo-  
 rum Carminum plagiarium, qui bonos ver-  
 sus male recitabat:

H 4

Quem



*Quem recitas, meus est, ô Fidentine,  
libellus:*

*Sed malè cum recitas, incipit esse  
tuus.*

In hoc corporis sermone miraculum illud Poëtæ Virgilius mirus fuit artifex. Unde Montanus Julius, auctore Seneca patre, egregius Poëta, dicere solitus est; *Se quadam Virgilio Carmina involaturum, si & vocem posset, & os & hypocrisim.* Sed desino: & per hanc occasionem, vos, qui aliquid publice recitaturi estis, hortor, ut id **ACTIONE** commoda, quantum omninò potest, animetis. Cadaver oratoris est, non orator, quisquis hæc animâ caret. Quâ utinam se hodie, & vos etiam exemplo animaret Alumnus nunc nostræ, olim etiam illustris illius Heilsbrunnensiû Scholæ, **CONRADUS Im Hof** Pegnicensis, qui ad horam secundam argumentum illud, quod in Comico tragœdia nuper modis sanè miris & novo exemplo admirandi ingenij exemplum M. Johannes Lippius Argent. repræsentavit, Carmine Heroico pertractabit: Carmine (sine affectu & ambitu dicam) **BONO & ERUDITO.** Audite, qui tales; immò etiam qui nondum tales. Ita censemus, qui hæc publicè proposuimus **IX. Octobris, Anno Christiano cl. lxx. lxx.**

RE-



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN.

NUS FRANCUS, BONARUM

Litterarum Professor publicus,

LECTORICVM DEBITA HO-

NORIS PRÆFATIONE

S. D.

**C**um post quinquennium Patriam medi-  
taretur M. JACOBUS Bierzapf  
Wirsbergensis; & Academiam, ejus ego  
nunc interpretes sum, VITÆ & STUDIORUM  
testimonium rogaret; serio dico, ad verbum  
lingua pariter & calamus mihi pruriebant;  
illa dictare, ista scribere. adeo benigna mate-  
ries in hoc homine prebebatur: & qualem  
utinam plures ex se darent hodie, qui sub  
personâ Studiosi litteratam hanc (ut sic di-  
cam) Fabulam apud nos agunt! Sanè quem  
inter homines nostri ordinis maximè lau-  
datum volumus; laudamus à MORUM &  
DOCTRINÆ probitate. Laudari ab utrâ-  
que, si alius quisquam, iste meruit. Nam, ut

H S

alia

alia taceamus, cerè Modestiã, illud. Ταπεινὸν  
 ἀρετῆς, quomodo Menander laudat, vel  
 quomodo Euripides, δῶρημα θεῶν καὶ δαίμων,  
 aut naturã aut usu sic suam fecit, ut à vitã  
 potius, quàm ab hac abire velle videatur.  
 Φεῦ, Φεῦ, τὸ σὺ φρονεῖς ὡς ἀπανταχῆ καλῶν, καὶ  
 δόξαν ἐν ἑσπερίοις καλῶν κομιζέται! Neq; enim  
 possumus nos continere, quin Comici quã-  
 dam prothymia quod Tragici est, hic excla-  
 memus. Iam ad studia litterarum quod at-  
 tinet; quid ab eo, qui in Scholã rectè consti-  
 tutã ad nature bonitatem affert industri-  
 am, fidem, dexteritatem, expectari nisi exi-  
 mium patet? In hoc quidem nostro omnia  
 concurrebant. Principi suo, cui beneficijs ob-  
 noxius, Theologie studium ex pacto & pro-  
 misso debere se commemoravit. Itaq; ut maio-  
 re cum fructu ageret, quod acturus erat, il-  
 los majorum gentium magistros, imò illum  
 etiam gentium doctorem Paulum secutus,  
 prius philosophari didicit. Salomon, Sapi-  
 entiam, inquit, vallo circumda, & at-  
 tollet te, & coronã voluptatis prote-  
 get. Quod Clemens Alexandrinus ad  
 Philosophiam transferens, Et tu, inquit, si  
 sapientiam (Christianam) Septo Philo-  
 sophia

sophiæ & variæ eruditionis munieris,  
 à Sophisticâ inaccessam servabis. Certè  
 noster hoc fecit, & in Latinis ac Græcis lit-  
 teris, atq; his imprimis eximie profecit. Et si  
 quid ad laudem facit, disputavit etiam pri-  
 vatim & publicè; quâ Philosophus, quâ  
 Theologus: nec ut Taciti nunc ferè solent &  
 Lentuli, aut etiam isti *ἡλωταὶ τεχνουργῶν καὶ  
 ἰμωτελικταῖοι*, minutarum rerum aucu-  
 pes flexuolarumque captivum tarto-  
 res; sed ad veterem formulam, *σεφῶς τε καὶ  
 λῶς π.* Hæc brevia sunt quæ diximus, sed se-  
 ria: atq; ad hoc exemplum, & cum istis Vir-  
 tutibus nos hunc **M. JACOBUM BIER-  
 SAPF** omnibus ijs, quibus in manu est Virtu-  
 ti pretium statuere, fide publicâ commenda-  
 mus. Si sapimus, & si nos Deus amat, ejus-  
 modi stirpes fovebimus, & in spem & usum  
 Reipub. Christianæ, quibus licet modis erige-  
 mus. Ita patriæ communi & bono publico  
 erit, quam nunc est, haud paulò melius.  
 Quod ego quidem spero & opto, qui hæc  
 litteris, & fide Sigilli Academici insi-  
 gniebam, XI. Octob. Anno Chri-  
 stiano M. DC. IIX.

RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, BONARUM  
Litterarum Professor publicus.

OPTIMI Clarissimiq; Viri, DANIELIS  
SENNERTI, Professoris & Collegæ  
nostri puella CATHARINA hodie terræ  
condenda est, & quasi operimento matris  
magnæ obducenda: Infans vix bisseñum die-  
rum. Nam proximis Angelorum sollemni-  
bus nascebatur: heri ad horam tertiam à  
meridie vitam posuit; & hodie eadem sepe-  
lietur. Quorum quidem *infantium*, & qui  
necdum XL. dies implessent. *Sepulchra* (ut o-  
biter hoc & quasi transiens transeuntes mo-  
neam) olim *Suggrundaria* appellabant: quippe,  
quæ nec *Busta* dici poterant; quia ossa quæ  
comburerentur non erant; immò, quia (ma-  
gno illo Naturæ mysta Plinio autore) *homi-  
nem priusquam genito dente cremari mos gentium  
non fuit*: nec tanta cadaveris erat immanitas,  
qua locus tumesceret, & *Tumuli* nomenclatu-  
ram mereretur. Sic ergò vita est hominis: &  
ita nimis verum est, quod vetus Poëta serio  
& pleno affectu queritur:

*Propter*

*Propter canas capulum positum est:*

*Nutrix tradit pollinētori.*

Adeò in rei fugacis & lubricæ possessio-  
nem natura hominem misit! Nihilominus  
tamen, ut affectus est parentum, nobis in no-  
stris etiam suaviter quandoq; blandimur, &  
—— *Votis alitur Spes animosa suis.*

Talia, inquam, & tanta de liberis animo  
interdum præcipimus & imaginatione mo-  
lumur: quæ tamen in medio spacio sæpissimè  
franguntur & corruunt; & antè in ipso portu  
obruuntur, quam portum conspicerè potue-  
runt. Vidimus, & videmus quotidie fieri.  
Feramus igitur, & animum patientiâ obdu-  
remus: cum sciamus ab supremo illo Numi-  
ne omnia sic disponi & dirigi; & omnia qui-  
dem bono hominis; hominis præsertim  
Christiani, & cujusmodi hic etiam fuit, cui  
funus jam indiximus. Itè ergò, Cives Acade-  
mici, ite, ad horam quam diximus tertiam;  
Infanti exsequias; Patris causa, è quo puellâ  
homo nata est: meâ, quo teste in sacro & lu-  
strico illo lavacro Christiana nata, sive rena-  
ta est; vestra deniq; , qui optimo Collegæ &  
Præceptori meritissimo & hoc & aliud in re  
etiam lætiori officium debetis. P. P. die

XII. Octobr Anno Christiano

M. DC. LIX.

RECTOR



RECTOR ACADEMIÆ  
WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-  
NUS FRANCUS, PROFESSOR  
bonarum litterarum publicus,

LECTORI CVM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE  
S. D.

**P**ACUVIUS Tragediæ scriptor vetus,  
Ennij P. ex filiâ nepos, gravitate sen-  
tentiarum, verborum pondere, & au-  
toritate personarum, judicij Fabij, cla-  
rissimus fuit. Is in Fragmentis Operum suo-  
rum, quæ tanquam ex incendio veteris Ro-  
mæ hodie reliqua habemus, præter cætera,  
elegantis notæ, Jusiurandum etiam quasi  
ἵρκος παρρησίας definiuit: & querenti,  
Quid esset jusiurandum? respondit, Est  
mantile, quo extergentur quotidianæ  
noxia. Rogas, quo fine ista nunc à me  
arcessantur, qui Testimonium vitæ, &  
studiorum alteri dicturus sim? Mi Lector,  
hoc fine, ut interiorum animi mei sensum de  
hoc toto genere Scriptionis semel tibi per  
hanc

hanc occasionē, quæ fortasse extrema datur, aperiam. VIDEMUS non illius solū Martialis & sagata, sed & Litterata hujus togataeq; militiæ alumnos, cum quibus nunc potissimum res nobis, chartas & amplitudine & titulis & cerâ insignes circūferre quas illi Vir utis Testimonia dicunt: & ad conspectū earum, tanquam ad caput Gorgonis, obvios quosq; horrere & obtumescere, postulant. Verū enim verō, si ex me, quid mihi videatur ejusmodi Testimonia, quaeras: de plerisque ausim tibi respondere: Mantilia, quibus extergeantur quotidianæ noxiæ. Profectò ita est: & scio multos è cordatoribus mihi ad sensuros. Ecce enim talis aliquis, verbi gratiâ, à civitate insimulatur: statim arrepto Testimonio, velut mantili, hanc noxiam extergit: quippe in quo laus modestiæ singularis ipsi publicè tribuatur. Crimen pigritiæ impingitur? statim ad Testimonium: & hinc probat, se totius vicinis fabros & gallos etiâ gallinaceos antelucanâ industriâ vicisse. Ita & hæc noxia tanquam linteo aut spongiâ extersa est. Iam si homini laudē eruditionis detractū i veris; cuncta demum acies explicatur: & tibi ista

verba



verba non quidem practicis & cursivis, sed  
 vero capitalibus litteris prescripta ostentan-  
 tur: PRAETEREA Noster omnes artes  
 liberales didicit: idem in utraq; ora-  
 tione Graecâ & Latinâ, prosâ & nume-  
 ris adstrictâ, excellens est: idem privata  
 Collegia habuit: idem publicè disputa-  
 vit; & aliquoties Respondentis partes  
 tenuit, aliquando etiam Praeidis. Hæc  
 cum tibi præleguntur, quidni erubescas, &  
 taceas? Quis enim Polydamas audeat istos  
 Hectoras? aut cui titulorum & cere purpu-  
 ratus iste fulgor oculos non præstringat?  
 Sed tamen quicquid sit, mi Lector: ut ut  
 multorum oculos præstringat; meos certè  
 deinceps haud temerè poterit. non quòd ego  
 ille Lynceus aut aquila sim, sed quia aciem  
 oculorum ad hæc talia longo usu jam obdu-  
 rasse, & magistrâ Experienciâ didicisse mi-  
 hi videor; multos ejusmodi laudum elogijs  
 coopertos vix tria verba Latinè loqui po-  
 tuisse, atque in cæteris etiam parùm supra  
 Parmenonis suam sapuisse. Et proinde si qui  
 talis mihi fortè imminet, statim Philosophi  
 illius lapidem Lydium arripio: adventorem  
 identidem ex insidijs affrico: & sic, quid  
 proba

probæ improbaeq; nota habeat, quasi aliud a-  
 gens inter ambulandum exploro. Sed qui  
 tandem, inquis, ille lapis est? LOQUERE, UT  
 TE VIDEAM. Hic lapis mihi Heraclius  
 sermo portitor animi est, & qui ignotum  
 nobis ut plurimum revelat, & in tenebris  
 etiam ostendit. Crede mihi, vix auri argen-  
 tiq; ad coticulam affricati certius experi-  
 mentum est, quàm tale Colloquium, saepe et-  
 iam breviculum. Plautus meus dixit, a-  
 marores non amare vestem, sed fartum  
 vestis. Simili modo ego ampullas istas &  
 carbaseos litterarum sinûs, quîs se tales in  
 speciem & pompam circundant, non amo;  
 sed potiùs ipsos, si amabiles. Litteris enim,  
 hoc est, mutis illis arbitris & testibus, qui et-  
 iam deprehesi non erubescunt, nihil temerè  
 fidendum. Neque enim nescio, quibus ar-  
 tibus hodie Testimonia ejusmodi magnam  
 partem aut electari aut exsculpi soleant: &  
 quàm non rarò viri etiam boni & cetera  
 non imprudentes in transennam ducantur:  
 dum omnes humanorum pectorum latebras  
 pervidere non possumus, & affectus nostros  
 & judicia nimis interdum precipitamus.  
 Doctissimus Romanorû Varro, nescio quem

barbato rostro commentari ait, & u-  
 numquodque verbum staterâ aurariâ  
 ponderare. Quam vellem hodie viveret,  
 & idem illis occineret, quibus Testimonia  
 dare in manu est! Certè, si isti quodq; ver-  
 bum ita ponderarent, digni indignis non  
 toties preferrentur: neq; tot Scholæ, tot Ec-  
 clesie, tot Respub. circumventas se quereren-  
 tur: dum speciosis ejusmodi Testimoniorum  
 coloribus inducti, Achillem aliquem sua  
 Troja promiserunt, & factis postea vix Ther-  
 sitem invenerunt, pessimo boni publici ma-  
 lo, & exemplo. Sed mitto hanc cupressum,  
 & quod instituti hujus unicum & proprium  
 debebat argumentum esse, TESTIMONI-  
 UM Vitæ & Studiorum FRIDERICO  
 STIMMERO Bartenst. Borussø, alumno  
 olim nostro, impertior. Is ergo in hac Acade-  
 miâ quasi triennium versatus est: Linguas  
 nunc usu principes, Græcam Latinamq; seu  
 prorsam seu vorsam, quas domi & in Aca-  
 demiâ patriâ formaverat, apud nos ad ob-  
 russam perfecti illius ævi exegit & perpoli-  
 vit: Philosophiam pariter & Theologiam  
 à præstantiss. qui tum florebant, magistris  
 didicit. Pauca verba sunt ista, fateor, sed spi-  
 rantia

rantia, & quæ rem habent comitem. Arti-  
 um deniq; liberalium & Philosophie MA-  
 GISTER, isq; prima notæ, post experimenta  
 sollemnia, publicè renunciatus est, IX. Cal.  
 Octobr. Anno Christiano M. DC. VI.  
 CÆTERUM, quæ in scholâ benè didicerat,  
 in vita communè etiam expressit. Pietatem  
 in primis & Modestiam ita colere visus est,  
 ut in famam gentis suæ & exemplum ju-  
 ventutis nostræ sufficeret. Et talem hîc  
 STIMMERUM fuisse, apud omnes EX A-  
 NIMI SENTENTIA testor: ita dico, ex  
 animi sententiâ: quem Conscientiæ religio  
 & Muneris dignitas Vero prævaricari nunc  
 minimè patiantur. Eâ fiducia Sigillo etiam  
 Academiae publico hæc insigni vimus, Pri-  
 die eidus Octob. Anno Christiano  
 M. DC. IIX.





AD AMPLISSIMUM SENATUM  
REIPUB. DANTISCANÆ.

**I**Mus ad vos, Amplissimi Senatores, & vestre Civitatis alumnum MICHAELEM BLANCKIUM vobis commendamus. Nos autem illum? immo potius, quia se Nobis & Virtuti præter ceteros commendavit, nostri muneri esse duximus, hoc vobis ante omnes significare, & communi quasi gaudio Senatuum & Publicos Patres communicare: quod nunc faciemus, brevi quidem sermone, sed prolixo affectu. Commoratus est, quem diximus, MICHAEL BLANCKIUS in hac Repub. litterariâ annum circiter & semestre. Queritis, Senatores, quid egerit? Quod hac ætate unicè debuit; Philosophatus est: idq; non à summis labris, ut multi solent perperam; sed ab imo pectore, ut pauci & non nisi à Genio meliore animati. Serio & sine affectu hæc scribimus, (neq; nos aliter per fidem Vobis & Academia debitam facere deceat) hunc Alumnium vestrum diversis temporibus publicè hinc disputasse, & quas domi stilo Theses conscripserat, linguâ foris defen-

defensum iuisse; tanto cum favore & applausu auditorij, ut multis etiam in hac militiâ veteranis palmam non ambiguam quidem facere, sed præripere iudicatus sit. Et, nobis etiam tacitis, poterit acutior aliquis vel è lectione *Thematum*, de ingenio, doctrinâ, & iudicio Adolescentis aestimare. Ita profectò est: itaq; & cætera studia, quæ ad summa quæq; Adolescentem formare & promovere possunt, tractat; ut, raro certè exemplo, freno potiùs inhibendus, quàm calcibus urgendus fuerit. Præterea Pietatem & Modestiam, quæ radix & altrix est virtutis & omnis bonæ famæ, sic colit; ut sibi ipsi certamen indixisse videatur. Nihil hic, Amplissimi Senatores, supra rem & verum attollimus: immò vix pro re dicimus. Et metetis aliquando præclaræ hujus sementis messem: modo vitam & hunc animum Deus ipsi perennet: quod nos quidem ex animo, vestrâ & boni publici causâ, vovemus: ut & istud; externa illa conantem non deficere: in res scilicet necessarias, sumtius. nam & hujus litteratæ militiæ nervus hodie pecunia meritò censeatur: quâ destituti: præclarissimas ingenij molitiones sæpè deserere

coacti sunt. Quanquam ab se fortè & domo  
 talia noster suppeditare potest: neque enim  
 nos inquisivimus. hoc potiùs volebamus,  
 Amplissimi Senatores; tam felix ingenium  
 vobis patriæq; communi gratulari; & quod  
 jam nunc vestrum est, Curæ Fideiq; vestre  
 arctiùs commendare. Favete, Amplissimi  
 Senatores, & ejusmodi stirpes bona Reipub.  
 Christianæ fovete: ita vos & vestra DEUS,  
 quo teste hoc scripsimus, & Sigillo Acade-  
 miæ publico insignivimus, Wittebergæ  
 Saxonum XV. Octobr. Anno Dominico  
 M. DC. IIX.



RECTOR ACADEMIÆ  
 WITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, PROFESSOR BO-  
 narum litterarum publicus.

SCITOTE Cives Reipub. litterariæ, diem  
 sperendinam, qui D. LUCÆ vulgò sacer  
 est, Academiæ Natalem esse; & Novi etiam  
 Rectoris: nam & ij, qui honores consequun-  
 tur, NASCI veteribus dicebantur. Facite  
 ergo, quod vestri est officij: Convenite ad ho-  
 ram septimam in Templo Academico, & Sa-  
 cra,

era, quæ ibi pro salute publicâ instituerentur, frequentes & devoti colitote.

TE verò N. N. Sacris his nostris, atque adeò Urbe & agro Wittenbergenfi exesse jubemus, atque ad annos tres ipsos RELEGAMUS. Quia religionem juramenti, ut prisci loquebantur, insuperhabuisti: vinculum Arresti effrenatissimâ temeritate perrupisti: CITATUS neque ad te, neque ad Nos redisti: Faxit Deus ut ad S. E. S. E.

TE item N. N. N. ubi ubi sis, tandem PEREMTORIE CITAMUS: ut ad diem XXIX. Novembr. horâ primâ in Consistorio nostro appareas, & causam dicas, cur Arrestum & fidem Nobis datam tam malitiosè eluseris. Nam quòd facinus tuum scripto purgare jam absens satagis, frustra es. Ais, sub discessum tuum domi abs te quæsitum Rectorem, nec inventum. Quando quæsitum? si modò unquam: nempe cùm præscires ipsum, ob Rempub. domi non esse. immò cùm certò scires ipsum domi esse: quid enim mendacio mantellum quæris? Et fac tamen, domo tunc abfuisse: cur brevi rediturum non præstolatus es? nam diutius abesse Rector non potest; non debet. An Hannibal ad portas Patriæ erat, nullius nisi tuâ manu rejiciendus? Quin omnia tua verba nugatoria sunt & mortuaria.

domo  
e enim  
amus  
enium  
quod  
vestre  
plissimi  
Reipub.  
DEUS  
Acade-  
eberge  
minica

Æ

MAN-  
Bo-

æ, diem  
gò facer  
etiam  
sequun-  
Facite  
e ad ho-  
o, & Sa-  
cra,



glossaria. Et dolemus, Patrem tuum, virum  
 (ut audimus) bonum & cætera prudentem,  
 dolis tuis ita circumventum & delusum esse,  
 ut tibi fidem habere voluerit. Sed nempe  
 Pater est; suos amat. Ideoq; & nos facilius  
 affectui ignoscimus: & itidem nobis ipse  
 ignoscet, si nos nostros, tot parentum affe-  
 ctus, hic amamus; & quos suus filius malo  
 vitæ exemplo offendit & turbavit, ad Legum  
 & Disciplinæ exemplum restitutos cupimus.  
 Quod cum aliter nunc fieri non possit, Te  
 N. N. quod & jam antè promulgatum est,  
 PEREMPTORIE CITAMUS. Si parue-  
 ris, causam tuam non-bonam facies meliu-  
 sculam: sin; scias notam Ignominiaë tuo et-  
 iam Nomini publicè impressum iri. Ita  
 frequens Senatus censuit, itaque sententiam  
 suam à me publicari voluit, die GALLI,  
 qui XVI. Octobris Julij, anno Chri-  
 stiano clc. lxc. II X.



R E-



RECTOR ACADEMIÆ

WITTEBERGENSIS,

FRIDERICUS TAUBMAN-

NUS FRANCUS, BONARUM

Litterarum Professor publicus,

LECTORICVM DEBITA HO-

NORIS PRÆFATIONE

S. D.

**E**rgo hac etiam rei insolentia, sub extre-  
 mum Recturæ velut actum, me sollici-  
 tat: ut M. CHRISTOPHORUS ZECHE-  
 RUS Noribergâ Francus, Vita apud nos jam  
 ante tria quasi lustra actæ Testimonium  
 roget? Ille, qui in inclitâ Saxonum Lune-  
 burgo Ecclesiæ Doctor & Minister hodie;  
 quemque nos ipsi, si sit necesse, testimonium  
 ultrò rogaremus; & quæ viri probitas mu-  
 nerisq; jam dignitas est, ab affectu & furo-  
 sic liberum & incorruptum, ut nec Invidia  
 livor, nec morsus Calumniæ id attentare fa-  
 cilè ausit. Quanquam fortassis hæ ipsæ pe-  
 stes (ut ego quidem verisimiliter conjicio:  
 nam causam in litteris non expressit) Vi-

I S

VUM

rum opt. adegerunt, ut hoc peccatum tam  
 serò peccaret: si peccatum est, vitæ innocen-  
 tiam quo vis modo probatum ire vel adser-  
 tum. Nam nobis non ignotum est lingua-  
 rij hujus flabelli, Ates nempe Homerice, in-  
 genium: & quàm sæpè innocios ad Calu-  
 mniatorum istud tribunal citare soleat.  
 Καὶ ἐμὲ, exclamat Socrates apud Platonem,  
 Διαβολὴ καὶ Φθόνος αἰρήσει. Et fecerunt:  
 nam hæc duo carcinomata Socratem brevè  
 sustulerunt: qui tamen sanctissimè omni-  
 um, quos Sol tunc vidit in Græcia, vivebat.  
 Et de Invidiâ credere possis hunc etiam Se-  
 narium in Xenophora Scias suas P. Syrum ex  
 Oraculo retulisse:

INVIDIA loquitur id, quod OBEST,  
 non quod SUBEST.

Sed faciant isti generis humani carnifices,  
 quod solent nos, quod debemus; & nostro  
 ZECHERO testimonium, quale promeri-  
 tus est, dabimus: quantumvis Conscientiâ  
 (quod Seneca facere jubet) contentus esse  
 poterat. Vetus & occultioris notæ carmen  
 est,

Frugalitas INSERTA rumoris bo-  
 ni est.

Hoc

Hoc nos per hanc occasionem novum,  
ac tralatitium facere conabimur, & ad  
istam faciem quasi παρωδῆν:

VITÆ probatæ Inserta Testimo-  
nium est.


Vt enim inserta sive παρωδῆ, ὡς τῆς  
ἰσοῦτῆς est: aut ut insignia & purpura in-  
serta & ornamenta sunt potestatis & digni-  
tatum: ita Testimonium vitæ honestatem  
non præstat; sed si ea adest, ornat fortè, ut in-  
stita & sequela vestem, aut emblemata annu-  
lum. Testamur itaq; eâ fide, quam debemus  
Academia, & quam fecerunt nobis, quos te-  
stes citavimus viros bonos utriusq; Ordi-  
nis, litterarij juxta & plebeij: hunc ZECHE-  
RUM in Civitate nostrâ vitâ & mores ado-  
lescentis illius ætatis sic egisse, ut semper me-  
minerit, se personam suam in theatro Hone-  
statis agere, in Orchestrâ sedente & spectan-  
te Christiano aliquo Catone, & universa  
Virtutû choro. Immò & in nobis sunt, qui in-  
terea ad σινωπεα & scamma Professorium  
producti sumus, quibus ille in subsellio tunc  
communi Studiosorû notus: nec a spectus  
tantum, sed & inspectus fuit: quod hodieq;  
tanquam heri aut nudius tertius factum,  
comme-

*commeminiimus. Et quanquam, veteri  
 verbo, NIHIL omnibus placet, præter  
 placentam & vinum: tamen nemo un-  
 quam, quod scimus, inter cordatos auditus  
 est, cui vita & mores ZECHERI meritò  
 displicuissent: nisi fortè unum illud, quòd se  
 infra omnes abiciebat: omnes meliores, o-  
 mnes doctiores se aestimabat. adeò quidem,  
 ut erigendus amicis esset, & sibi in speculo  
 Virtutis & Doctrinæ propiùs quasi ostendendus.  
 nempe se & alios nosceret: in mores  
 sæculi intueretur: operam suam Scholæ aut  
 Ecclesiæ ultrò offerret. Tandem aliquando  
 & SALOMONI GESNERO, Professore  
 Theologo, & morum in primis accuratissimo  
 Censori innotuit: qui & carum eundem,  
 ob morum probitatem & liberalissimam  
 doctrinam, habuit: atq; etiam privignam  
 ipsi in matrimonium collocavit: quod vel u-  
 num pro testimonio vitæ laudabiliter actæ  
 sufficere poterat. Fando accepimus (nam à  
 multis annis hominem videre non memini-  
 mus) ipsum valetudine nunc imbecilliori ef-  
 se. quod nos quidem nolimus, & vicem opti-  
 mi Viri seriò doleamus. Haud nos latet il-  
 lustrissimi Vatis sententia,*

VITÆ


—VITÆ inoffensus tenor,  
 Intégra membra ducit ad calcé ultimam,  
 Si nil juventa stulta conscivit sibi,  
 Effœta membra cur senectæ traderet.  
 Quare laceffis questibus cælum tuis,  
 Quòd dubia & anceps fluctuat salus tibi?  
 Cum sanitatis quisque sit faber suæ.

*Sed hic noster profectò non fuit: dum quidam apud nos fuit. Et proclivius mihi sit credere, ipsum curâ & vigilijs corpusculum, naturâ fortè infirmius, paullatim ad hanc faciem attenuasse potiùs, quàm, quod nunc ferè solet juventus, immodestiâ & intemperantiâ. Sed quicquid hujus sit hodie, nos scimus, ipsum inter nostros olim vitam modestâ honestâque vixisse: idque ut porro etiam quàm diutissimè facere ipsi liceat, bono Reipub. Christianæ, Deum veneramur; quo teste hæc scripsimus, & Sigillo Academiæ insignivimus, XV. Octobris, Anno Domino M. DC. IIX.*



RECTOR

VITÆ

  
 RECTOR UNIVERSITATIS  
 STUDII VVITTEBERGENSIS,  
 FRIDERICUS TAUBMAN-  
 NUS FRANCUS, BONARUM  
 Litterarum Professor publicus.

CAROLI LUNTZMANNI Hahrbur-  
 gensis, Vinarij Academici uxor, MARIA  
 SCHUMANNA Lipsiensis, nudiustertius  
 obiit; immò veriùs, (ut Poëtæ veteris &  
 Christiani versu dicam)

*Hæc commutavit secula, non obiit.*

Nuptias celebrarunt (quandoquidem &  
 hoc tyrannis Consuetudo imperat, ut dicam  
 scilicet, & agam in habitu Tragœdi Comœ-  
 diam) anno Christi millesimo, quingentesi-  
 mo nonagesimo tertio. Liberorum duùm  
 parentes fuere, masculi & fæmellæ: quorum  
 ille, cum vix trium septimanarum vitam vi-  
 xisset, obiit; hæc etiamnum in vivis, & in vi-  
 rum & subolem, ut minæ sunt ætatis, victura  
 speratur. Nostræ civitatis incolæ annos tres  
 cum semestri fuerunt: & ipsa quidem, quæ  
 nobis hanc paginam facit, apud vicinos & fa-  
 miliariter notos eam laudem invenit, ut non  
 è multis illis una, sed è paucis, vel, quod idem  
 est, melioribus fuerit: rariusculum in istâ  
 merce

merce præconium. Morborum intemperie exercita, sæpius minabatur facere, quod nudius tertius (uti diximus) serio & severo affectu & eventu tandem fecit. Morbi diuturnitatem pariter & gravitatem incredibili patientiâ toleravit: & unicum in votis habuit, ut corporis jugo, quamprimùm posset, abjungeretur, vel certè interjungeretur; quippe in extremâ illâ die pristino Corporis & Animæ jugo iterum copulanda. Exsequijs hora dicta est tertia. Eas ite, quibus ire commodum est: esse autem omnibus debet, vel certè pluribus. Et si vel ij tantùm comparèrent, quibus ea, dum viveret, seminarium illud hilaritatis vinum propinavit, à viginti, credo, annis funus nullum elatum esset frequentius. Debetis hunc affectum etiam JOHANNI ROHTHÄUPT Senatori Lipsensium primario: qui nunc, indultu Senatûs nostri, supremus Cellæ Academicæ Dionysius est, & vindemiæ in hoc, ut sic dicam, agro litterario promuscondus: quippe defunctæ maritum olim LUNTZMANNUM nobis ad hanc usq; diem suppromum dedit & vicarium. Prisci illi, qui suos cremabant, ROGUM VINO RESPERGEBANT, ut ὄσολόγιον sive ossilegium fieret scilicet commodius. Si mos ille adhuc obtineret, noster Vinarius

*Reliqui-*



*Reliquias VINO ac bibulam lavisse  
favillam*

optimè posset. Sed nos lacrymis potiùs cineres nostrorum spargamus, & sic ad Officium extremi diei præparemus. Interea cum illo Leonidæ Poëticè-sepulto sentiamus, & dicamus:

*PARCE meum unguento cippum brevi-  
busque corollis*

*Ornare, & nimio me saturare mero.  
Hic frustra insumis. VIVO largire. lutosum  
VINA dabunt Cinerem. non honor in-  
de SITO.*

Publicè propositum XVII. Octobris  
Anno Christiano cl. lxx. IIX.



VVOLF GANGI SEIDELI

**T E S T I M O N I U M.**

QUICUNQUE HÆC LEGITIS,

**A** PUD VOS EX ANIMI SENTENTIA  
testor, WOLFGANGUM SEIDELIUM  
Curia-Variscum, in Contubernio meo quasi  
annum vixisse; atque ita, ut ego Amicum,  
Schola

Schola nostra in ipso habuerit Ornamentum  
 & Exemplum: Modestia in primis & in af-  
 fectatâ illâ Comitâte & Candore sese omni-  
 bus, qui huius aliquid habent, probasse: atq;  
 ut magnes ferrum, sic illum consensione ta-  
 citâ & suprema seia alios traxisse: In bonis  
 Artibus & litteris Vetera, id est, optima  
 semper amasse; eaque non in speciem & pom-  
 pam, ut nunc ferè solent, sed in usum didi-  
 cisse; primariâ autem destinatione Iuris-  
 disciplinam, & quæ eò ducunt: quodque  
 caput mihi est, Iudicii in plerisque omni-  
 bus puri & directi fuisse. Quid dicam?  
 videtur aliquid etiam debere Batavis  
 & parti illi Cræbis elegantiori Belgicæ, quam  
 aliquandiu coluit. Pauca verba hic fa-  
 cio, mei Lectores; sed si vos totidem cum  
 illo, satis profectò se ipse commendave-  
 rit. VIRI magnates, & quibus Res-  
 publica cordi est, fovete hanc melioris natu-  
 re stirpem, irrigate, erigite, & in spem boni  
 publici, ubi occasio, producite. Conscien-  
 tia & Genius ipsi dicunt, se celeste aliquid  
 esse, & lucere debere: atque eò condendit,  
 Vos juvate. Certè Fortuna pro merito  
 Virtutis nondum ipsi risit. Ut brevi fiat,  
 K faxit

*faxit DEVS, quo teste hac scripsi & con-  
signavi. VVittebergæ XVIII. Octobr.  
Anno M. DC. IIX.*

Fridericus Taubmannus  
Francus :



GEORGI FRANCI

TESTIMONIUM.

LECTORICVM DEBITA HO-  
NORIS PRÆFATIONE  
S. D.

**G**EOGIUS FRANCUS, Nobilis Cur-  
landus, cùm hinc discederet, volebat  
tribus etiam verbis, atque à me quidem, Bo-  
nis Doctisq; Viris commendari. Quid facerè?  
Merebatur ille hoc sive officium sive benefi-  
cium: sed ab alio quovis potius, quàm à  
me, cujus nomen litterarum merita non-  
dum in Famæ templo dedicarunt, præstan-  
dum. Tamen feci: aut jam in eo sum ut fa-  
ciam. quia amicus rogavit, & , ut ego in-  
terpretari

interpretari soleo, imperavit. Nihil tamen  
 quicquam amico nunc dedero; omnia (Fi-  
 dem testor) Vero. BIENNIIUM, & si quid  
 amplius apud me egit, mensa & contuber-  
 nio communi. Hinc factum, ut ex convictis  
 diuturniore, etiam interiora adolescentis  
 mihi paterent: quae nunc in lucem produco.  
 MODESTIAE ante omnia sic studuit, ut  
 nemo magis, qui quidem ordinis ejusdem  
 & loci fuerit. Animus in eo apertus, amans  
 generosi & honesti: delectis ingenis sem-  
 per delectatus: paucis adsuevit, ijsq; bonis:  
 doctrinae antiquae & Humanitatis studiosus  
 & eam, pro modo aetatis, bene doctus. Vo-  
 cem altius tollerem, nisi me summa hominis  
 modestia cohiberet, & vix obiter perstrin-  
 gere pateretur, quae, in exemplum Nobili-  
 tatis, vero elogio exaggerare poteram, &  
 debebam. Et quia praestantiores illas ani-  
 mas, quas fama celebrat, à me à etiam (au-  
 debo dicere) institutione magis magisque a-  
 mare & colere didicit, nunc in hac peregri-  
 natiuncula constituit voce & vultu pra-  
 sentes venerari, quos affectu olim & cultu  
 absentes. eos praecipue, quos Reipubl. lit-  
 terariae Duumviri, Scaliger & Lipsius

*aut familiaritate aut doctrinâ in Belgio  
 admirabiles reddidere. Lugdunum enim  
 rectè à meditari mihi visus est noster: ubi Ge-  
 nium utriusq; herois in amicis & discipulis  
 hodieq; durare, res loquitur. Megaram  
 Nisi muros semper habuisse vocales, ob ci-  
 tharam Apollinis architecti ibi depositam,  
 olim fabula fuit. A linguâ Scaligeri & Li-  
 psii, pullorum Phæbi, Lugdunū in Batavis  
 vocalem esse, hodie historia est. А МАТБ,  
 vos ô mei, sic affectum FRANCUM è Cur-  
 landis: atque hoc Testimonium mihi, qui  
 Francus sum natione, à Fide & Vero dicta-  
 tum, credite, quod scripsi & consignavi  
 VVitteberga XXII. Augusti, anno  
 Christiano M. DC. IX.*

Frid. Taubmanus



FRIDE.



FRIDERICI TAUBMANNI  
RECTOR,

*Sive*

HERCULES  
ACADEMICUS,

*magis tamen adfectus quàm  
perfectus.*



RIDE.





A D

CONSULES

ET

SENATUM

*Reipublicæ Culmbacensis.*

VIRI PRUDENTISSIMI, AM-  
PLISSIMI,

**O**RATIUNCULAM, quam hîc habui,  
quum Magistratu Scholastico abirem,  
ad vos mitto; aut potius ut metatorem præ-  
mitto. nam, nisi me DEUS & Princeps no-  
ster tenebunt, brevi, atque adeò cis paucos  
dies sequar; & Patriam communem annis  
abhinc septendecim non visam, vel obiter  
revidebo: Vosque in eâ; illos præsertim, qui  
in primo litterarum tirocinio mihi olim  
Condiscipuli fuistis. Nomine cieo nemi-  
nem: sed scio esse, atque inter Consules, id est,  
boni rectiq; Præceptores, ut tales appel-  
lat Arbiter. Vos, inquã, videbo: & pro innu-  
meris, quibus me vestra Civitas affecit, bene-

K 4

ficiis



ficis coram gratias agam. Ita dico; Gratias  
 agam. nam qui referre queam, in re mea  
 nondum apparuit. Queritis fortè; unde  
 ista debitio? Sanè dum obliti estis, pro Ro-  
 mano Sapiente fecistis sapienter, qui censuit;  
 eum qui beneficium dedit, oblivisci o-  
 portere. At contra meum erat, Scito ejus-  
 dem Sapientis, accuratè meminisse. Quod  
 quidem hucusque & feci, faciamque; neq; si-  
 ne scelere memoriam tanti beneficii exsue-  
 rim. Nam cum puer duodecennis, & tunc  
 sarcinator, in vestificinâ amplius durare  
 aut nollem, aut nequirem, Pater (nam Vi-  
 trici titulo verberare tam calidè in me af-  
 fectum religio mihi sit) Pater, inquam,  
 Wonsesio rectè Culmbachium vestram me  
 abducit: triginta numulis, hoc est, cuncto  
 patrimonio exornat: sub disciplinâ eximij  
 juventutis magistri Iohannis Codoma-  
 ni relinquit: abit. Ibi ego à meis destitutus,  
 in annum quartum à vestratibus si non e-  
 ducatus, tamen alitus fui. Et dum ostiatim  
 panem quero: panem, & aliquid lautius  
 interdum, apud Cives lautiores invenio.  
 Gratum profectò beneficium, & cuius sine  
 interiore animi sensu nunc meminisse non  
 possum

possum: quippe quod unicum fundamentum  
fuit illius, quantilli etiam nunc sum; si for-  
tè non pœnitendi. Hinc ergò vobis, Viri  
Amplissimi, debitor factus, cum nomen  
meum expungere necdum possem, visum  
fuit hanc intereà Oratiunculam veluti ta-  
bellam obligatoriam in templo Memoriae  
suspendere, cum hoc elogio:

TAUBMANNUS QUOD EST, SI  
QUID EST, CULMBACHIO  
DEBET.

QUANQUAM hæc Oratiuncula,  
quam sic appello, revera nec meritum hoc,  
nec nomen quod præscripsi, satis tuetur aut  
sustinet, cum sit potius festinata quædam &  
tumultuaria promiscui argumenti disserta-  
tio, quam in istâ multifariâ & πολυποικιλῶ  
occupatione, abortivi magis quàm peperi.  
Nam, Conscitiam appello, pro pridie, imò  
pridie die LUCÆ, quo in templo Academi-  
co perorandum mihi erat, nondum satis de  
argumēto Orationis mecum constitueram.  
Itaque unius ferè noctis lucubratiuncula  
est, quod videris. Neq; unquam, opinor, in  
hanclucem me auctore data, nisi importu-

*na & nimis officiosa typographi & Amicorum procatio protraxisset. Id quod hiccetiam, non vestrâ tantum causâ, Viri Prudentes, dicere debui; sed aliorum etiam, si qui fortè lectores erunt. Quamvis presidium famæ in hac re positum non censeam.*  
 V O S,

VIRI PRUDENTISSIMI,  
 AMPLISSIMI,

Valete & REM BENE GERITE.

Wittebergæ Calendis Augustis, Anno  
 Christiano M. DC. IX.

FRID. TAUBMANNUS.



FRI-



FRIDERICI TAUBMANNI  
VVONSESENSIS

ORATIUNCULA:

*Habita in Templo Arcis cum  
Magistratu abiret.*

**N**ON à summis labris hoc dico, Au-  
ditores, sed ab imo pectore: (scit il-  
le, qui hominis intimos scrutatur  
sensus) me gaudere, atq; adeò læta-  
ri, hunc diem tandem illuxisse, quo ego mi-  
hi & Humanitati reddor, à cuius professione  
sæculum abfuisse videor. Habeant sibi Re-  
ctores suum regimen, & *Enge* illud *Magnifi-  
cum*: ego mihi deinceps placebo in pristino  
meo regno, & omnes res præ Humanitate  
relictas habebō. Satis jam usu & experi-  
mento verum didici, quod pro quotidiano  
Symbolo hæctenus dixi & scripsi:

*Fructus Honos oneris, Fructus honoris Onus.*

Quàm suaves autem cogitationes alebam.,  
quàmque pulchras mihi in hoc animo ma-  
chinas

chinas statuebam, cum ab hinc semestre, e-  
 um, qui Recturam mihi autoritate publica  
 commendabat, ex hoc eodem loco peroran-  
 tem audirem. Cum enim ille (scitis qui adfu-  
 istis) *Herculem* laudaret; vel, ut ego interpre-  
 tor, cum *Speculum Nobilitatis* proponeret, ibi  
 ego mecum tacitus; Hem tibi post semestre  
 dicturo, (ne extra semitam praeuentis nimi-  
 um abeas) argumentum, nempe tu etiam  
*Herculem* in theatrum produces, sed animi  
 causa, *Stramineum*: ad exemplum Varronis,  
 qui *Ajacem* olim fecit *stramineum*. hoc est, de eo  
 hominum genere volebam dicere, qui rerum  
 omnium primi esse volunt, nec sunt: quos  
 Plautus meus venustissimè *urbicapos* appellat;  
 vel, ut ipse interpretatur, *qui urbes verbis in-  
 mes capiunt*: quod stratiotici ordinis homini-  
 bus hodie nimisquam usitatum. At verò  
 cum in hac provincia aliquamdiu versarer,  
 & viderem, me negotiosis pariter &  
 odiosis curis ac molestiis dies noctesque mi-  
 ferrimum haberi, coepit & ille antiquus, &  
 quem ego animi causa, ut cui nihil scilicet  
 aut parum futurum esset, quod agerem, par-  
 turiebam, displicere *stramineus Hercules*:  
 & moliri tertium quendam coepi, quem mihi  
 rerum scholasticarum indoles & natura quasi  
 sub manibus formabat, & qui vero suo nomi-  
 ne diceretur *Hercules Academicus*, qui vulgo,  
Rector

*Rektor Magnificus.* Hercules ille Thebanus  
(dicam iterum Plauti mei verbis)

*Cum Leone, & cum Excetra, cum Cervo,  
cum apro Aetolico,  
Cum avibus Stymphalicis, & cum Anteo  
deluctatus est.*

Ecquid Rector Academiae a simulat si-  
militer? Mihi ita videtur, Auditores: & saepe  
uno die cum omnibus istis monstris Rectori  
deluctandum esse verisimiliter pertendo.  
Nam vix illucescit, & ecce tibi Sinnius ali-  
quis Capito dolore & ira ardens domum Re-  
ctoris irruit, & admitti postulat. Intromis-  
sus, Rector, inquit, Magnifice, nocte, quae  
praeterijt proxima, Auruncus Rabirius in via  
publica, cum a convivio nuptiali domuitio-  
nem pararem, me de improvviso adortus pes-  
simè tractavit. Simulq; vibices & tumores  
querulando ostentat. Citatur Rabirius. At  
verò ille omnia negare: se eam nocte pedem  
domo sua non extulisse. Capito contra ten-  
dere, & testem laudare ancillam, quae *Vulca-  
num*, Comici verbo, *in cornu praeluxerit*. Rabi-  
rius interitabilem illam clamitare multis ar-  
gumentis. Nihilominus illa vocatur: amboq;  
inter se committuntur. Tum illa; Nonne e-  
go te novi, domine Auruncus? nonne habi-  
tas in platea Collegii apud Vcalegontem?  
nonne convictu uteris Apitii? atq; haec o-  
mnia

inna claro & tinnulo, ut solent muliebres  
 illæ merces, clamore. Iste verò conscientiam  
 etiam suã appellare, & testibus insuper pro-  
 batum ire; jam tres menses abijisse, cum pla-  
 team Collegij non viderit: speciosissimo (si  
 dijs placet) argumento, & quo se Reçtori et-  
 iam, cui mores juventutis non ignoti, facile  
 purgaverit. Ergò adversus accusatores in-  
 candescens, conqueritur de injuriã sibi factã,  
 qui innocens ita apud Reçtorem traducatur:  
 se ad Iudicem aut senatum oppidanum ex le-  
 ge *Diffamari* contra ipsos ad illumque mo-  
 dum acturum: ut sciant tandem, quid sit in-  
 nocentem scilicet onerare contumeliã. Hic  
 ego credo Herculem Thebanum minore lon-  
 ge molestiã Leonem illum Nemeæum inter-  
 fecisse, quam quã Reçtor animum hujus fe-  
 rocem & irã flagrantem reprimat, & compo-  
 nat. Jam, eum hos absolutos censeas, trudent  
 alii decem, quasi grex venalium, & trahunt  
 secum Iohannem Biberium, cum tabellario;  
 qui heri dicitur domum rediisse. Stat merca-  
 tor, stat sartor, stat furor, stat vinarius, stat  
 caupo; etiam ille Pratenfis, quasi parum eo-  
 rum sit in oppido: stat lotrix, stat coronaria,  
 stat tonsor, stat ancilla nescio quæ, stat biblio-  
 pola: postremo apparet etiam, qui in primis  
 debebat, hospes, qui domum & mensam præ-  
 buit: stant sexcenti alii aliãq;. Omnes; Reçtor  
 Magni

Magnifice: Dominus Iohannes Biberius debet mihi tot, mihi tot, mihi etiam plus plusq;: en hic autographum hominis! Putatur ratio ordine cum singulis: summa institoris pro veste bombycinâ, pro holoserica, pro subserica, pro Damascenâ & undulatâ, pro vento textili: (nam vestem è panno, aut levidensam aut ab exuvijs animalium gestare, hodie sordidum putatur, & tantum Picentes, ut vocant, deæet,) institoris, inquam, summa, itemq; Cauponis omnium quidem maxima est; Bibliopola minima, aut minima proxima. lubetur pecuniam tabellarius deponere. numeratur. Sunt triginta floreni: ille autem centum quadraginta debet. Hic disputatur de jure potiori variis & titulis & convitiis. Nec unquam Marsyas ab Apolline, aut Pentheus à Bacchis æquè miserè laceratus fuit, atq; hic Biberius à suis Cerdonib; an creditoribus. Hic turbant: hic mera faciunt mapalia; ne dicam Sullia. Sententia Reſtoris expectatur. Sed tam ingeniosus alchymista nullus unquam Reſtor fuit, qui è tantillo possit facere tantum. Singulis adjudicatur aliquantillum. Alius in sententiâ acquiescit: alius, nisi univertum, negat accipere quicquam: alius aliud clamitat; Pecuniam omnes; Biberium omnes. Quis credat, Herculem, exetram illam Lernæam, πολυκέρφα-  
λοφ



λον ὕδρον, majori ærumnâ confecisse, quàm  
 Rectorem tot capita triconum & Lucrio-  
 num? Iamq; hos etiam, quocunq; sanè mo-  
 do, absolutos censeas: & ecce Saufejus & Ce-  
 cractes trahuntur à Crassitio; qui ejulabun-  
 dè quiritans; Magnifice, inquit, Rector: Hi  
 sunt isti, qui nocte hâc ostium mihi clarissi-  
 mo canore, & cum infamiâ occentarunt:  
 Euclionis, Danistæ, & præcipuè solempni il-  
 lo *Picentis* convicio, sine omni modo & mo-  
 destiâ me verberârunt. Audiuntur, factum  
 fatentur: sed se priores ex illâ domo à famili-  
 aribus lacessitos clamitant. Ille ad testimo-  
 nium viciniæ provocare. Mittitur ad Sena-  
 tum, ut Cives suos examinent, & testimonia  
 ipsorum fide & religione juramenti ad Re-  
 ctorem festinent. Fit rogatum: testimonia  
 publicantur. Videas omnia suspensis & su-  
 spectis verbis & strophis colorata. Metuunt  
 scilicet omnes alieno luto manus inquinare,  
 vel crabrones in caput suum irritare. Hic  
 Rector æstuat fluctuatq;. Et credibile est,  
 Herculem minori longè negotio aves illas  
 Stymphalicas ex Arcadia abegisse, quam has à  
 Consistorio volucres Rectorem. Interea dum  
 ferrum horum in igni est, supervenit alius:  
 &, rector Magnifice. Sed quid vos circum-  
 duco, Auditores? Hercules ille monstrorum  
 domitor, nunquam ita fuit Hercules, ut  
 Rector

Rector est Academicus; qui quæ ille decen-  
 nio monstra confecit, hunc unus sæpè dies vi-  
 det conficere. At enim verò, cùm labor mihi è  
 labore quasi extractus ad has extremas usq;  
 dieculas duceretur, sensi hujus etiam Herculis  
 Academici ficturam mihi inter manus corrū-  
 pi; non minùs quàm illius Stramineinè dicam  
 an Stratiotici. Mihi tamen hodierno die ali-  
 quid dicendum omninò prævidebam. Quid  
 igitur facerem? Ut ille, quem nocte intempe-  
 sta vis aliqua major, puta incēdium aut ruina,  
 dormientem è strato in lucem subitò protra-  
 hit, satis habet vestem arripere, quâ *partes ne-  
 cessarias* (ita eas vocabant, quâ viri sumus) pu-  
 dori tegat, coloris aut elegantiaë securus: ita,  
 cùm me violentia Consuetudinis, & Patrum  
 auctoritas, in hanc Cathedræ lucem impa-  
 ratissimum produceret, satis habui meam sive  
 inertiam, sive infelicitatem, quo vis velo ob-  
 tegere, & dicere non quod maximè vellè, sed  
 quod maxime possem. Itaq; cùm Herculem  
 Academicum suis & Apellæis lineis formare  
 per temporis injuriã non possem; de ipsa Aca-  
 demia, & potissimum de initiis ejusdè, in quæ  
 jam ab antiquo Cælum & Terra, felici sanè evē-  
 tu, conjurasse videri poterāt, planè admiradis,  
 aliquid dicam: non quidem oratoriis illis or-  
 namentis adhibitis, sed sermone familiari, &  
 quo uterer, si tibi ista in Muséo mecum ambu-

lanti commemorarem. Si qui adsunt, quos scio adesse multos, præsertim è veteranis, quibus hæc nota sunt, illi sciant, me nunc potissimum eos attendere, qui nuper accessere, quorum trecenti sexaginta quinque,

*Quot numerare dies solet annuus annulus Anni.*  
Tot enim sua nomina ad me professi in Albū Academiae per hoc semestre spaciū relati sunt. Et hos, qui quasi mei sunt, à me præcipuè docendos censeo. Nam qui in Professoribus hinc sunt, si mei arbitrii res sit, velim omnes abesse aut certè præsentem aliud agere, & se in suo ludo, dum ego vobiscum loquor, interea oblectare. Audientiam spero mihi locus faciet, & Argumentum, quod DEI solius honori, qui Mirabilis est in consiliis suis, velificabitur: aliquam audientiam fortasse etiam brevitatis faciet, quam polliceor, & vestra, quam hætenus in me expertus sum, benevolentia.

PRINCIPIÒ, in Sacra & profanâ Historiâ ego mihi inter cætera hoc etiam videor observasse: Deum, cognomento ( Prophetæ testimonio ) *Mirabilem*, quo in loco monumentum aliquod admirabilis Consilii & Iudicii sui statuere aliquando secum destinavit, id nonnunquam iudiciis & quasi ominibus certis posteritati diu antè præfigurasse. Wittebergam nostram in hoc angulo extremæ Saxonie olim vicinis vix satis notam, nunc

nunc toti pænè Orbi terrarum admirabilem  
factam, scitis: ob illud facinus mirum & me-  
morabile, quod Lutherus, Zelo & Spiritu di-  
vino armatus, ante hoc pænè sæculum patra-  
vit. quo illud ab hoste, si fortè, etiam elogi-  
um meruit:

*ROMA Orbem domuit. Romam sibi Papa subegit:*

*Viribus illa suis, fraudibus iste suis.*

*Quantò isto major Lutherus, major & illa,*

*Illum illamq; uno qui domuit calamo!*

Ecquid hoc etiam indiciis & argumentis qui-  
busdam præfiguratum dicemus? Deum nem-  
pe in hac urbe Wittebergâ aliquando factur-  
um, quod fecit; ob quod Terra & Cælum in  
omnem sæculorum perennitatem lætabitur,  
& in miraculis miraculorum æstimabit? Ego  
ita sentio: & fortasse vos etiam mecum, si ei  
rei argumenta audieritis. *Wittebergam* in an-  
tiqua Senonum sede ad Albim sitam esse sci-  
tis. Nomen fortitam censent alii à Condi-  
tore *Wittekindo*, qui annis abhinc quasi o-  
ctingentis unus fuit è priscis illis Saxonum  
Duodecemviris, & qui cum Francis bellum  
illud sacrum & plusquàm tricennale gessit:  
ne esset scilicet, quod nunc ut posterius ipsi-  
us sint, spiritu & sanguine propugnant,  
hoc est, Christiani. Et *Wittebergam*  
quasi *Wittekindi pyrgum & arcem*, dictam,  
apparet sensisse non-neminem etiam ex

Antecessoribus nostris, dum se Rectores *Wittenburgenses* potius, quàm *Wittenbergenses* præscripsere. Alii tamen quasi *Albimontem* dictam autumant: quem montem arenosa congeries, aut nuditas in isto terrarum adhuc incultu, & ut ego opinor, versus septentrionem ubi nunc vinetis ea pars agri vestitur, ostentaverit. Credas hoc probatum & illi fuisse, qui sub primo Rectore ita intitulatus (sic enim loquebatur) hoc est, Albo Academiae adscriptus fuit: *Tylo Dhenæ Albiorensis Bürgermeister*. Audin', *Albiorem* vocare se Latino Græculum? Quasi dicat, *in albo monte* Consullem. Vtrum autem horum elegeris, augurium rerum futurarum habebis, & augurium benè ominatum. Nam *Wittekindus*, quid est aliud, quàm *Sapiens infans*? Ita enim Lutherus in Nomenclaturâ Nominum ad veterem etymologiam restitutorum, *Witte* & *Wittichii* nomē explicuit: *Witte oder Weise Kindt*. Nonne *Sapiens* fuit, qui postea Academiae nostræ prima fundamenta posuit *Fridericus tertius*? planissimè. Ita ut cum ipsa Sapientiâ commune nomen habuerit, & quasi consensu Romani orbis *sapiens* vocatus fuerit. Nonne *Sapiens infans* & *Wittekindus* ejusmodi fuit hominis illud miraculum *Lutherus*? Quid tu mihi Græcus aliquis tuos septem illos *Sapientes* prædicas? blenni & fatui ad unum omnes fuerunt, præ hoc *Wittekindo*. iam

do. Iam si alterum, de Albo Monte, augurium captas; habes fundum & subscriptorem opinionis tuæ majorum gentium & ævi magistrū. Cū enim hoc ipso die Lucae, ante annos sex & centenos in primā Academiae hujus dedicatione, auspicalem haberet Concionem *Frater Gloc*, qui tūm *Prior*, quem vocant, *Cano-*  
*bii Stenis lausig* ad Muldam, non procul à *Bitterfelt*; (sive ut historiae seculi nostri princeps *Thuanus* appellat, *Peterfeldt*) quasi divinus & fatidicus in illā Concione hæc etiam verba pronunciauit; *Fore, ut ex hoc Albo monte caelestis & vere Sapientie rivuli in universum terrarum Orbem profluerent.* Auditores, vestrum appello testimonium: Nōne hinc profluxerunt rivuli Sapientie? rivuli autem? immò torrentes, qui paulatim per suos elices divisi, hortū, quem Spiritus Domini plantaverat, quaqua versum in omni parte Orbis terrarum abundè rigarunt. Fuerūt & Patrum memoriā apud nos primarii Doctores, qui aliam etiam à fatali dispositione causā arcessivè, cur huic oppido *Montis-Albi*, seu *Libani*, quod in sua & primogenia illa linguā *album* seu *candidum* significet, nomen impositum fuerit. Pertendunt enim, multa etiam loca alia viciniae habere nomina Hebraica, eaq; à Iudæis ipsis imposita, qui ab excidio patriæ suæ per Orbem terrarum dissipati, ad hunc Septentrionem, & in hac etiam

vicinia cōsederint; eorūq; non pauci hoc ipso  
 in loco nova Hierosolyma prælagierint: mō-  
 remq; Sionem aliū exoriturum esse, in quo se  
 Filius Dei ante finem Mundi denuò patefactu-  
 rus, & Evangelium suum palam prædicaturus  
 esset. Vnde veteres Iudæi incolæ ad Deum cō-  
 versi, hoc oppidum *Libani Montem* & proxi-  
 mum pagum ultra Albim, *Pratam*, seu potius,  
*Ephratam*, ut Lutherum etiam sensisse volunt,  
 appellarint; prælagientes frugum ubertatem  
 & copiam, quam laturum aliquando hoc solū  
 esset: ut suo merito *Panis-domus*, seu frugiferum,  
 solum diceretur: in quo Deus cibum cælestem  
 & verum vitæ panem præbiturus, & multorū  
 animas suo verbo & Spiritu ad lætam saturita-  
 tem pasturus esset. Sunt etiam ( dico pleraq;  
 Auctorum etiam verbis, ne sententiæ ipsorum  
 alicubi prævaricatus videar. ) sunt, inquā, aut  
 ipsi potius inquiunt; qui opinentur, eisdem  
*Albim fluvium*, qui in Bohemiā ad radices mō-  
 tis Rhæti oriatur, & à decem scatebris in un-  
 decimam confluentibus nomen acceperit? *Eu-  
 phratem* frugiferum, à sæcunditate nuncupa-  
 se: quòd circa hunc annum fidelis Abrahami  
 posteritas ad majorum suorum veram religi-  
 onem & cultum per tertium & ultimum Eliā  
 convertenda esset. Et quia pii Israelitæ divi-  
 nis oraculis admoniti intellexerunt, gentis  
 suæ stirpem evulsam, & per Orbem terrarum  
 disper-

dispersum iri; ut ne obliviscerentur in exilio suo radicis *Isai* seu *Iessæ*: aut etiam benè omninando prædiceret, radicem illam in hoc loco frondes & flores novos emissurã, doctrinamq; de Christo DEI Filio, à confusione Superstitionum repurgatã, denuò hinc prodituram in lucem esse; ideo vicinum oppidum *Iessam* vocasse. Et ut antiquæ etiam *Sareptæ*, quæ fuit ditionis Sidoniorum, suus constaret honos, & *Eliæ* hospitis Sareptani duraret in posteritatem memoria, antiquum *Sidonis* nomen, quod nunc *Seida* est, retinuisse. Prælagisse etiam exules illos incolas accolasq;, Deum in hac regione excitaturum esse viros metallicos novos, & quidem spirituales, qui metalla effodiendo, excoquendo, & à recrementis impurissimorum Spirituum & hominum purgando, æris puri panes conficerent. Quod impletum in *Luthero*, qui metallarii filius, & è Conflatoribus illis Spiritualibus primarius fuit. *Dessaviam* autem ab adipe seu fertilitate nominatam fuisse. *Zahnam* denique, quæ uno miliari hinc abest, pertendunt iidem, nomen suum hodieq; tenere Hebraicum, & significare *Diversorium Publicum*, quale scilicet fuerit illa *Rahabæ* Hierichunticæ tabernæ Cauponaria, quæ duos *Iosue* exploratores hospitio exceperit, & ab iisdem pretiosi sanguinis vèтури **CHRISTI** cognitionem, sub invo-



lucro restis coccinei de fenestrâ suspensi, acce-  
 perit. Et eventum tandem comprobasse ajunt  
 Zahnæ appellationem magnæ rei omen & au-  
 spicium fecisse. Neq; adeo de nihilo est, si sen-  
 tentiam nostrâ ex eo, quod exitus post docuit,  
 formare volumus. Nam certè Witteberga  
 Zahnæ proxima, & hujus quasi ἐν τύπῳ Colo-  
 nia, revera Xenodochiū illud est, in quod di-  
 vertens Samaritanus ille Ecclesiæ suæ perpe-  
 tuus custos, Filius Dei, spoliatos, & crudelissi-  
 mē sauciatos à latronibus istis Monasticis col-  
 ligit, hospiti commendat, & promēs duos de-  
 narios Vetus & Novum Testamentum, dat ho-  
 spiti in solatium & sanationem contritorum.  
 Atq; hæc fere nostri olim Doctores. Quanquã  
 autem de appellationibus eorum, quæ dixi-  
 mus, locorum, aliter, & fortasse propiùs etiam  
 ad fidem historiæ, disputare poteramus: (licet  
 negari non possit, Iudæos in hac etiam parte  
 Germaniæ olim coluisse, eo etiam argumen-  
 to, quòd in plurimis oppidis *plateæ Iudeorum*  
 hodièq; celebrentur) tamen religio mihi fue-  
 rit, callidum illum calidumq; Pietatis affectū,  
 & bene ominantium cogitata in majoribus  
 nostris ex supervacuo laceffere aut castigare.  
 Habeamus in eorum censu, quæ sine piaculo  
 ad sensum aut fidem mereantur. Eamus ad pro-  
 ximiora, & quæ ab avorum memoriâ, in re-  
 centi hominum sermone & fama publica, quasi  
 heri

heri aut nudius tertio gesta, adhuc versantur. Ergo cum jam à DEO Opt. Max. semel constitutum esset, ut Anti-Christus & filius perditionis, gladio Spiritus jugularetur; excitavit, qui locum & officinam præpararet, in qua gladius ille, qui ad animam interiorem penetrare debebat, poliretur pariter & acueretur. Is fuit Saxo FRIDERICUS nomenclaturâ inter suos tertius, Sapientiâ facilè primus. Imaginem ejus hic è marmore videtis Sagatam; illic in ære Togatam: neutram tamen pro viri meritis. Si vobis lubido est audire, quos de eodem heroe, eodem die, ex hoc eodem loco, cum Iubilæum Academiae primum, annis abhinc quatuor celebraremus; quos, inquam, tunc versus pronunciabam, si lubido est audire, honori & meritis tanti Principis aliquot nunc repetam. Video vos velle: & pariter non tam volentem quàm cupientem silentio vestro, tanquam illicio, blandiùs invitare. Hinc autem exordiar:

————— Tu primum duxeris ogmen,  
 FRIDR. LCE, Imperij pars augustissima: cum quo  
 Ipsa suum commune habuit Sapiencia nomen.  
 Instar in hoc quantum est! (animos advertite) cum quo  
 Ipsa suum commune habuit Sapiencia nomen!

Laus olim palmaris erat, penetrare sacratae  
 Regna Palestine, & Solymam Christi, sepulchrum  
 Ferre sub adspetum, penetravit hic: omnia coram  
 Sub visum tactumq; dedit. Pendere muro  
 Cernitis has tabulas & Adversa aversaq; Christi.

L s

Deposito

Depositi facies ea patrum credita saeculo est.  
 Ille hinc suspendit Solymporum ex orbe relatam,  
 Ille hanc exstruxit muris ingentibus Arcem  
 Turritasq; minas ille hoc venerabile Templum.  
 Nunc meritis insigne suis & honore Sacrorum.  
 Hoc auctore Domus surrexit & illa: supremæ  
 Urbis apex, portæ decus & tutamen Elistræ:  
 Primum Augustin, post nomine clara Luteri;  
 Nunc utriusq; simul; quantum via debita neutri.  
 Ille rudi posuit duo Formatoria publi:  
 Quiaq; Professores sacrum sophos atq; profanum  
 Exercere queant. Sed & illum è robore querno  
 Undeni compage iugi super Albida pontem  
 Construxit, docuitq; fero sub gurgite Nymphas.  
 Aonia calcata pari vestigia turbae.

Magni animi res sunt, ob quas nonnemo triumphum  
 Postulet, at nihil hoc præ quam quod dicere possem.  
 Me tempus sineret. Quo pacto inuiserit heros.  
 Committit Imperii tricesima, vig; probata.  
 Confilii ornaris: Quo pacto dignus haberi  
 Cesareas tractare vias pro Cesare trino:  
 Quin Sceptrum, & Sphæram Diademaq; Cesaris ipsam.  
 Imperii gestare bono. Sed, Carolus esto,  
 Cesar, ait, pro me Cesar mihi Carolus esto.

Talis igitur, tantus igitur, immò major, quàm à me,  
 à me autem? immò quàm à maximo Poeta, à maximo  
 Oratore, qualem quantumve Sol iste viderit, scribi  
 dicivè possit. Hic Principum Princeps hoc virtutis  
 Christianæ theatrum excitavit: in quo nos hodièq;  
 per gratiam Dei, & Actores & Spectatores sumus. Ne  
 tamen Optimus Princeps hoc Opus bonum sic impu-  
 nè operaretur: aureos bis mille Pontifici Romano  
 pèndere coactus est. Hac tamen etiam mantissâ egre-  
 giâ mercem illam suam Romanus institor adauxit s-  
 ut nostris Academicis, qui tunc ferè Saxones, & qui-  
 bus

bus nitor olei præpingui larido haud magni aesti-  
 mabatur, lacte, caseo, & butyro, etiam in Quadragesi-  
 malibus ( sic loquuntur ) velci licuerit, & quidem  
 ad viginti annos; non obstantibus decretis Synodo-  
 rum. Fuit profectò Nundinator Romanensis prætor  
 solitum tunc indulgentior, qui tantam vim casei &  
 butyri pro tantillo Germanis vendiderit. Primus au-  
 tem & quasi Natalis huic Academiae dies fuit ( ut dixi-  
 mus ) decimus octavus Octobris, qui memoria Divi  
 Lucae insignis est. Sed vide mihi aliquis, annon &  
 Diabolus aut Candidati Daboli, prælagierint, quod  
 paulò post evenit: hic nempe instrumenta præpara-  
 tum iri, quibus regni sui fundamenta concutiantur?  
 Nam eà ipsa nocte, quæ diem inaugurationi dictam  
 proximè præcessit, Princeps Fredericus, qui alioqui  
 voti; & consilii pertinax, malevolorum sermunculis  
 ita subito abalienatus fuit, ut cum ipsa luce Manda-  
 tum publicæ, quo jubebatur instituta Academiae  
 solemnitas in aliud tempus protolli: Sed quia jam  
 magna vis hominum litteris & famâ excitæ coierant;  
 & cætera ad solemnem Scholæ inaugurationem cu-  
 riosè præparata; perurgent tandem quod facere de-  
 stinarent. *Martinum* igitur *Policium Mellerstadio Fran-*  
*cum*, qui locum hunc, quantumvis lutulentum tunc  
 & ignobilè, nec agricultu satis felicem, Academiae ta-  
 men non ineptè primus declaraverat; & spem suâ bon-  
 no omine profecutus fuerat; dum ex lutulento luculen-  
 tum, ex ignobili nobilem futurum prædiceret; quemq;  
 ipse Princeps jam antè suo voto Rectorem Academiae  
 primum decreverat: solemni pompâ, quasi hodiern-  
 o die, in templum subducunt, & felicissimo succes-  
 su emoliuntur, quod diu sunt moliti. Fabula obtinuit,  
 & sæpe audias ab imperitâ Juventute: hunc Recto-  
 rem & Academiae primum, à Nobili illo Franco-  
 dicecesis V. Virzburgensis interfectum esse. Non est ita,

non. nec tam malo omine cœpit, quod tam feliciter in hunc usq; diem successit. Funestus ille Rector Vdalricus Erbar fuit, Medicinæ Doctor, & ab hoc nostro vicesimus: nã perpetratum hoc parricidium est anno Christi duodecimo supra sesquimillesimum: & autor sceleris in horreo eis *Kembergä*, in palustri illo ad dextram comprehensus, in medio foro, non (ut perperam insuper nugantur) inter duas istas cataractas, quæ tunc nullæ erant, decollatus est: Sub nostro autem Rectore *Mellerstadio*; intitulati sunt (ita loquebantur) quadringenti & sedecim: sub *Barthol. Kranapoll*, Rectore secundo, ducenti quinquaginta octo. Vides incrementum unius & primi anni, Civium quasi septingentorum. Non nescio, aliarum Academiarum aut paria aut majora etiam fuisse incrementa. Sed tu mihi ingenium tunc hominum & locorum considera, habebis quod juxta mecum mirari debeas. Postquam Academia à primo hoc Natali suo in annum iam sextum adolevisset, qui erat à Natali Servatoris nostri octavus supra sesquimillesimum: hodierno die, qui D. Lucæ sacer est, Rector eligitur *Nicolaus Viridimontius*, (nostris *Grüneberger*) Artium & Philosophiæ Magister, Sacræ Theologiæ Professor, Ecclesiæ Lignicensis Canonicus. Ab hoc Rectore, atq; ex hoc die, si mei res sit arbitrii, novam ego ÆRAM & novi Seculi initium ordinarem & proinde hodierna die novum Iubilæum pari fortasse merito, & quid si majore, quàm ab hinc sex annos factum, celebrarem. Hoc *Viridimontio* virere cœperunt montes nostri *VVittenbergici*; montes *Israelis*: montes, in quibus domus Domini exstructa est. Nam hoc Rectore nomen suum professus, in Album litterariæ hujus Civitatis inter plurimos sui ordinis adscriptus etiam est (ponam sua ipsis scripturâ,) *Frater Martinus Luder de Mansfeldi Augustinianus*. Quid vultis, Auditores, aliud admirabilius? Qui Lutherum dixit, omnia dixit, quæ

quæ homo Christianus voluit, quæ debuit summa. In nunc, & nega, cælum & terram fatali quâdam dispositione, & occultis auguriis in hanc Academiam quasi conspirasse. Sed desino: aut potius hanc telam in medio adhuc opere abrumpo: longè plura dicturus & fortasse talia, ut ista potissimum, aut sola etiam dicere debuisse videri potuerim: nisi mihi aut occupato aut securo tempus certè præter votum meum & opinionem, sese subduxisset: aded ut nec illa ipsa, quæ in ubertate illâ ultrò nec valde cogitanti se ingerebant, chartæ illinere sustinuerim, velut prælegenda auditorio. Quocirca ad alteram instituti nostri partem festino: quæ quidem primaria & unica esse debebat: nisi morbo sæculi, in re etiam seriâ, ambitiosè laborandum, hoc est, operosè nihil agendum esset, ubi res de plano & simpliciter poterat expediri. Nec vel hodie Metello de Pænis, aut Turcis in mediâ Germaniâ triumphare liceret, nisi supervacuâ diligentiam & sumptu centum etiam & viginti elephantos antecurrum duceret. Qui animis non peregrinantur, sciunt quid velim. Tibi ergo, misericordissime Deus,

*Qui solus es auctor bonus omnium bonorum,*  
 principio debicam gratiam meritamq; ex intimo pectoris mei sensu refero, quod hanc Academiam in hoc etiam semestre tempus, quamdiu tuis auspiciis ductuq; Senatus nostri, Recturam ejusdem gerere debui, sanam salvamq; præstitisti: meq; etiam potissimum consiliis & auctoritate armasti, ut res rationesq; Academicas, qua privatim quâ publicè ita confecerim ut amplissimus Senatus ob hanc sive industriam sive felicitatem, gratias etiam mihi agendas per primarium Professore censuerit. *DOMINE, DOMINE*, abs te & tuâ manu est, quicquid hinc boni factum: quicquid secus, à me & meâ fait. Et sentio aliqua fuisse. *Quis homo est,* ait sapientiæ Romanæ princeps, *et nescit, sapientissimè*

pietissimos quoq; viros multa delinquere: neminem esse tam  
circumspectum, cuius non diligentia aliquando sibi ipsi excidat;  
neminem tam maturum, cuius non gravitatem in aliquod fer-  
vidius factum casus aliquando impingat: Horum si qua in  
officium meum irrepere, quaeso vos, connivete, &  
gratiam eorum ex hoc die mihi facite.

*C A E T E R U M, quod felix fortunatumque D E-  
V S esse jubeat, vobis significo R E C T O R E M in fu-  
turum semestre, unanimi Patrum sententiâ, electum  
esse Rev. & Cl. Theol. I O H. FORSTERUM, Profess.  
Christianarum litterarum eximium, IN statutis qui-  
dem illis nostris antiquissimis Lex etiam (ita vocant)  
habetur: Ab onere Rectoratus de gratiâ speciali supportamus  
religiosos S. Theologiae Professores. Alius Rectoratum non sus-  
cipiens Universitati solvat aureos tres. Sed quod ad Re-  
ligiosos attinet, lex illa cum religiose seculi illius  
superstitione antiquata est; & Scholam, quæ omni-  
um ordinum alumna fuit ab omnibus ex æquo guber-  
nari debere prudenter postea censuerunt. Ceteram e-  
tiam Legem credo ego adhuc virginem esse, atq; in-  
hunc usq; diem integram & illibatam: planè ut Rem-  
publ. quod dicunt, Venetorum. Neq; enim puto,  
quisquam adhuc repertus est, qui ob recusatum munus  
Rectoratûs tribus istis aureis sic mulctatus. Nam quod  
quidam ad destinatum sibi aut delatum Magistratûs  
hunc honorem trepidant, & præfatiunculis tergiver-  
santur; se tanto honore indignos esse, tanto oneri  
non sufficere; Malle alteri cuivis potius, quàm sibi  
hoc deferri: dicam, quod sentio Francâ simplici-  
tate; mihi verba illa honoris videri & magis ex more  
dici ne nihil dicatur, quàm quod feridè ita sentiât ho-  
ni isti homines. Et quæ causa etiam sit, cur hic aut  
iste immunitatem sibi speret, aut arripiat? Univer-  
si Professores in hac navi tot infidiosis Syrtibus, & im-  
portunis fluctibus exposita vehimur. Omnes sumus  
pars, tantum numero & posita distincti, quippe om-  
nia*

omnium dignitatum & munerum à summo ad infi-  
 mum aequè habiles & capaces iudicati omnes; cur non  
 paria etiam aut faciamus, aut patiamur? Si Rectoria  
 onus est, debes subire hoc onus, si honos est, itidem tibi  
 debetur. In cōmuni navi non solum spectatores si-  
 mus sed quādoq; ubi opus, ad clavū sedeamus, remos  
 agitemus; etiam sentinā exantlemus. Quocirca, Ma-  
 gnifice Rector, iudicium illud tuum & candorē mi-  
 rificè amo, quod munus hoc à Patrib. legitime delatū  
 recta, quod aūt, fronte, & animo parato accepisti. De-  
 us qui animū hunc tibi dedit, ut velles, dabit etiam ut  
 valeas: quod vel pietas tua sperare nos jubet. Iam Ma-  
 gistratus tui insignia & ornamenta etiam à me cape,  
*Sceptra, Sigillum, Claves, Librum Statutorum, Epomida:* & si-  
 mul oneris totius summā ab humeris meis in tuas trā-  
 sportaram; ut fias scilicet *Hercules & Theologus* pariter  
 & *Scolasticus*. Et quia novā quodāmodo & *HERAM* quasi  
*LUTHERANAM* ordinas ex hoc die, quo Rector o-  
 lim creatus est, qui Lutherū nobile illud membrū &  
 veluti cor Virtutisq; Christianae principium, corpori  
 nostro Academico intervit; atq; ita licet imprudens,  
 prima fundamenta renascentis doctrinae Evangelicae  
 posuit, Deum ter Opt. Max supplex veneror ut, quem-  
 admodum à conditu Academiae centenarium primū  
 mirabili felicitate expedivit, & Iubilaeum solemniter  
 promeruit: ita & hoc (ut sic dicam) *Luteranum Seculū*,  
 cui hodiernus dies quidam quasi Natalis censeatur,  
 pari vel etiam prosperiore successū per suos gradus e-  
 molliatur: atq; ad eo illi, quisquis olim decursi seculi  
 alterum Iubilaeum celebraturus est, parum videatur à  
 primo academiae conditu ad hūc praesentem diē 54050:  
 Cives Reip. nostrae litterariae se professos: in iis 5184  
 Magistros Artium creatos; multos ex hac & illā clas-  
 se perieramq; Europā salutari doctrinā imbuisse. Haec,  
 inquam, quantumvis felicissima, illi praefelicitate  
 sui saeculi parum etiam felicitia videantur.

QVIS.



QVISQVIS ades NOSTRI laudes iterato IEHOVAE.  
 Vox canat assa, colore canat. vox mista Iehovam.  
 Arida clangentem se Buccina frangat in auram;  
 Duelliumq; Tubarum anima tarat antara tantara  
 Eructent crepero per tota volumina tractu:  
 Tympana tenta tonent follisq; sequentia flatum  
 Organa multifido clangantq; boentq; sonore:  
 Errantiq; canore Chelys; hilareq; tremiscens  
 Fistula; Panduraq; fides & setiger arcus.  
 Et quicquid Nervis & Flatu & deniq; Pulsu  
 In dulces animare potest ment docta canores:  
 Omnia nunc meritis plenum laudate Iehovam.  
 QVICQVID erit quodcumq; homines fecere merendo,  
 SERVAVIT nostrum, SERVABIT IOVA  
 LYCEVM.

F I N I S.



OVAE.

m.

m;

ntara

m

rendo,

OVA

3

1



T/c 1834


ULB Halle  
004 764 994




3

H. A. M. 21







**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

# KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

